




Arch Bibl:

INITIA TYPOGRAPHICA

ILLUSTRAVIT

IO. FRID. LICHTENBERGER

GYMN. ARGENTORAT. PROF.



ARGENTORATI

SUMPTIBUS BIBLIOPOLII SOCIORUM

TREUTTEL ET WÜRTZ

LUTETIAE PARISIORUM, APUD EOSDEM

MDCCCXI.

Ex eodem bibliopolio prodierunt Argentorati 1760. in 4.

IO. DAN. SCHOEPFLINI, Consil. Regii ac Franciae Historiographi, Vindiciae Typographicae.

Subiunguntur Documenta typographicarum originum ex Argentinensibus tabulariis & bibliothecis nunc primum edita. *Nec non* primitiarum typographiae Argentinensis Specimina sex, aeri incisa; scil. 1. ex *Libro de Miseria humanae conditionis.* 2. ex *Soliloquio Hugonis.* 3. ex *Mentelii Bibliis* 1466. 4. ex Eiusd. *Astexano* 1469. 5. ex *Eggesteinii Bibliis Latinis* 1468. 6. ex Eiusd. *Officiis Ciceronis* 1472. Accedit 7. P. Schoefferi calligraphiae specimen 1449.

PRAEFATIO.

Typographiam, uti Famam *Maro*, *tam ficti pravique tenacem quam nunciam veri* dixeris. Unde pronuntiat *Ge. Braun:*[1] *Typographicae artis inventio plusne boni an mali attulerit, probabiliter disputari potest.* Hanc vero artem qui non inventam mallent, idem facere videntur ac ii, qui, ne prava loquerentur homines, elingues eos ac mutos esse praeoptarent. Utilissimae artis pretium praedicavit *Io. Andreas de Buxiis*, Aleriae Episcopus, Vaticanae bibliothecae Secretarius, in Epist. ad Paulum II.[2] Pontif. Max. anno 1468, ubi primos in Italia typographos *Schweinheimium* & *Pannarzium* commendans scribit: *Eiusmodi est impressorum nostrorum & characteres effingentium artificium, ut vix inter hominum inventa, non modo nova sed ne vetera quidem, quidquid excellentioris inventi possit referri. Digne honoranda, seculisque omnibus magni facienda profecto* GERMANIA *est, utilitatum inventrix maximarum.*

Solutilibus literis libros excudendi artem primum *Argentorati* Invenisse *Ioannem Gutenbergium*, Equitem Moguntinum, circa an. 1436, testatur citatum p. 11. Documentum anni 1439, quod an. 1760 publici iuris fecit in *Vindiciis typogr. Schoepflinus*, cui suffragati sunt Eruditi omnes, aequo pollentes iudicio. E typorum vero fusoribus *Fournierius* in alienum sensum detorsit verba Documenti Germanice scripti, ipse licet Germanicae & Latinae linguae se fateatur ignarum. Exstant eius super hoc argumento Dissertationes aliquot: in quarum prima[3] inter sculptores in ligno retulit *Seb. Brantum*, Iurisconsultum Argentoratensem, ingenio & doctrina clarissimum. In Secunda[4] totus in eo est, ut ex levissima literarum inaequalitate ostendat, libros in quibus illa deprehenditur, typis e ligno sculptis impressos esse: in qua quidem

1 in Delineat. Civitatum, Coloniae Agripp. 1577. Tab. 37.
2 Praemissa Hieronymi Epist. Romae 1468. apud Cardin. Quirini de primis Edit. Romanis, Lindaugiae 1761. p. 110.
3 *Sur l'Origine de l'Art de graver en bois*, Paris 1758.
4 *Sur l'Origine de l'Imprimerie en taille de bois*, Paris 1759.

in usum suum convertit plura quae ei suggesserat *Meermannus*, quod testantur huius Literae ad Schoepflinum, quarum autographa humanissime mecum communicavit Schoepflini in cathedra successor, illustris *Kochius*. In Literis an. 1759 d. 25. Nov. scribit Meermannus: *Vous aurez vû la seconde production de Mr. Fournier: l'auteur quoiqu'il me nomme deux ou trois fois, même avec plus d'éloge que je ne mérite, s'est paré plusieurs fois de mes plumes, sans me citer. Cependant je me garderai de souscrire à tout ce qu'il dit.* Porro an. 1760 *Fournier* edidit *Observationes ad Schoepflini Vindicias typographicas*, in quibus pag. 49. inconsulte satis scribit, Schoepflinum aliosque Eruditos typographicae artis historiae tenebras offudisse potius quam attulisse lucem, additque: *M. Schoepflin ne nous apprend rien de plus que ce que j'avois déja dit auparavant dans mes deux Dissertations, savoir que Gutenberg a fait ses premiers essais à Strasbourg vers 1440 avec des caractères taillés sur des planches de bois; qu'il a quitté Strasbourg peu après cette invention, &c.* Fournierii supercilium illud reprehendit Meermannus in Literis ad Schoepflinum 1760 d. 25. Oct.: *J'ai lû la critique de Vôtre excellente Dissertation par Mr. Fournier, mais j'ai été très-peu satisfait de la manière dont il Vous traite. Il ne m'a pas convaincu que Gutenberg n'ait imprimé à Strasbourg qu'en planches de bois; quoiqu'il paroisse de mon intérêt d'adopter l'opinion de Mr. Fournier.*

Gutenbergium prototypographum asseruerat quoque *Meermannus* in Literis ad *Io. Wagenaarium*, patriae historiae scriptorem egregium, an. 1757 datis, quas, e batavico gallice versas ab illustri *Hulthemio*, exhibet *La Serna*[1] his verbis: „La prétendue opinion „de la découverte de l'Imprimerie par *Laurent Coster* commence „de plus en plus à perdre son crédit, et tout ce que *Seitz* nous „en raconte, & ce qu'on en a pris dans l'histoire de la patrie, „sont de pures suppositions, & la chronologie concernant les „découvertes & les entreprises de Coster, est une invention romanesque, à la quelle je puis opposer unè bien plus probable „à l'honneur de *Gutenberg*... S'il est vrai que Coster a imprimé en caractères mobiles, dont il n'y a ni tître ni jota, qu'on „nous démontre qu'il a exercé cet art avant 1436." Veram hanc

1 Dictionn. bibliogr. Tom. I. p. 14 sqq.

esse eruditi viri sententiam, extra omnem dubitationis aleam positum est: quae enim post pro eodem Costero tuendo scripsit, ita sunt comparata, ut satis appareat, ea non serio affirmasse Meermannum, sed gratam Batavis suis lusisse fabulam.

Eam vero fabulam orsus est in citatis Literis ad Schoepflinum an. 1760 scribens: „Il me paroit probable que Gutenberg dès „l'année 1436 a fait des essais: mais vos Documens ne me semblent „pas démontrer qu'il soit parvenu à publier des Livres. Mais si „cela étoit, il faudroit voir si *Laurens Iantz* (*Coster*) n'a pas im„primé en caractères mobiles avant 1436; ce que je suis disposé „à croire.“ Harlemensem vero *Laurentii* officinam merum figmentum esse, abunde ostendimus pag. 122 - 139. Maioris momenti sunt illa Meermanni: *Vos Documens ne me semblent pas démontrer que Gutenberg soit parvenu à Strasbourg à publier des Livres.* Eandem opinionem fovent *Schelhorn.*[1] *Heinecken.*[2] *Lambinet.*[3] *Daunou.*[4] & *La Serna.*[5] Monuimus quidem pag. 13. 14. & 53. nullum extare monumentum typographicum quod Gutenbergiano Argentorati prelo possit adscribi, nec ibi contigisse Gutenbergio ut excusis libris faceret quaestum, qualem post Argentorati fecisse *Mentelium* narrat *Wimpheling.* Ex ipso illo Documento anni 1439 vidimus, *Andr. Drizehnium.* Gutenbergii praecipuum in typographiae opificio socium adiutoremque, antequam consummaret quod coeperat opus, e vivis excessisse anno 1438. Ab illo tamen opere perficiendo haud longe se abfuisse, ipse testatus est his verbis:[6] *Bona mea futuramque haereditatem oppigneravi. sed male res cedere nequit: ante elapsum anni spatium nostram sortem (hauptgut) inde recuperabimus. erimusque tunc felices cuncti. nisi Deus nos punire decreverit.... Si. Deo iuvante. elaboratum opus a sociis poterit divendi. tunc. uti spero & confido. ex omnibus angustiis meis sum emersurus.* Eousque cum anno 1438 provecta esset officina Gutenbergii, qui integrum adhuc sexennium Argentorati trans-

1 in Dissert. praelim. ad Quirinum p. 7.
2 Idée &c. pag. 253 sqq.
3 Recherches sur l'Origine de l'Imprim. p. 112. & 122.
4 Analyse des opinions sur l'Origine de l'Imprim. p. 121.
5 Dictionnaire bibliogr. Tom. I. p. 83.
6 Documenta ap. Schoepflinum p. 5. & 13.

egit usque in annum 1445;[1] credere nefas est, hac in urbe nullum prorsus excudisse libellum virum in rebus inveniendis acerrimum, investigandaeque arti sedulo incubantem.

Deperditos fuisse paucorum foliorum libellos, Argentorati typis Gutenbergii exscriptos, eo minus mireris, quod ipsius viri praestantissimi memoria mox ibidem obliterata est, primaeque inventionis gloria, praecinente *Hieron. Gebwilero.* collata in Mentelium, uti Moguntiae, in Faustum, qui anno 1457 primum librum cum nota anni, loci & typographi evulgaverat, splendidissimum illud *Psalterium* sive Missale, absolutissimum artis opus: quod, dum *adinventione artificiosa imprimendi ac caracterizandi effigiatum* monuit Faustus, inventorem se artis quodammodo innuit: Argentorati tamen asservata est picta Gutenbergii imago, eaque simillima, in Museum Schoepflinianum translata; quam cum Fausti, aliorumque effigiebus Maittairius aere excusam primo Annalium typographicorum tomo praefixit. Oblivionis ansam praebuit ipse Gutenbergius, dum suorum librorum nulli nomen suum apposuit, quo silentio persuasit multis, nullum unquam e suo prelo opus prodiisse; donec tandem eruta est Charta anni 1459, in qua Moguntino S. Clarae monasterio se donaturum spondet *libros a se iam excusos & in posterum excudendos.* Confidentius iam Gutenbergio vindicatum est *Catholicon* Moguntiae an. 1460 excusum: cui quamvis subiecerit finale prolixius, tamen eius se profiteri artificem, typographicique opificii primum inventorem contra Faustum asserere, *Gutenbergium* vetuit, uti videtur, innata illa Germaniae Equitibus de sui ordinis dignitate opinio, aliud licet statuant *Mallinkrotus* & *Meermannus.*

1 Argentorati Gutenbergius usque in an. 1444. solvit obolarium vectigal in classe *Constafleriorum*, in qua id etiam solverunt an. 1442. *Henr. Eckstein*, Artium magister, & *Ioh. de Grüningen*, pictor, *typographi*, puto, pater. Conf. Docum. ap. Schoepflinum pag. 40. & 41. Ad *Constafleriorum* vero classem referebantur non tantum *Equites*, sed etiam cives opifices, non in tribus recepti, testibus *Koenigshofio* cum nota *Schilteri* p. 307, *Pastorio* von den Ammeistern p. 146 sq. & Glossario Scherzio-Oberlin. p. 219. *Io. Mentel*, scriba aurarius, post *typographus*, memoratum vectigal solvit an. 1447. in classe *aurifabrorum.*

His addere iuvat verba illustris *Kochii:* [1] „Si donc il est incon„testable que Gutenberg a imprimé avant & après 1459, sans „jamais rappeler son nom, on auroit tort d'inférer de ce silence „qu'il n'est rien sorti de sa presse en caractères mobiles à Stras„bourg depuis 1436 qu'elle étoit en activité, jusqu'en 1445, & „que ses premières productions typographiques n'aient eu lieu „qu'à Mayence." Nullo certe iure Meermannus negavit, *Gutenbergium*, qui iam anno 1438 a consummando typis mobilibus opere propius abfuerat, ullum adhuc emisisse e prelo suo opus anno 1445. Quo quidem asserto in Gutenbergium iniustior apparet, dum simul affirmat, ante annum 1436 sculptis e ligno typis libellos excudisse Harlemensem Laurentium, de cuius venditato typographeo in veteribus Batavorum annalibus nec vola nec vestigium extat.

Argentorati Gutenbergium mobilibus typis ne unicum quidem folium iusta, ut legi posset, forma excudere potuisse, existimavit *Heinecken*, in Idée &c. p. 253. scribens: „Je suis convaincu qu'on „n'a pû tailler à la main la quantité nécessaire de lettres de bois „d'une telle égalité & justesse, pour imprimer avec elles des „feuilles entières, & encore moins ces gros volumes, comme „quelques uns prétendent... Si Gutenberg a fondu véritable„ment des lettres de plomb, sans connoître la manière de tailler „des poinçons, & de frapper des matrices, ou s'il a voulu fa„çonner au couteau des lettres au bout de chaque corps; & s'il „n'employoit que du plomb, matière nullement capable de re„sister à la presse, et encore plus flexible que le bois, surtout „quand il est trop mince, il n'a pû venir à bout d'imprimer „un livre."

Nos vero probabilius esse ostendimus, Argentorati Gutenbergium adhibuisse typos metallicos, aurifabri opera confectos, quos e plumbo, cum alia metallica materia mixto, fuisse conflatos, coniicit *Oberlinus.* [2] Talibus sane typis Gutenbergius excudere potuit libellos referentes eam impressionis ruditatem quae depre-

1 Tableau des Révolutions de l'Europe, Paris 1807. T. II. p. 27.
2 in Essai d'Annales de la Vie de Gutenberg pag. 17.

henditur tam in *Horario* quam in *Donato* & *Confessionalibus*. pag. 25. & 135. descriptis. Specimina artis Argentorati edidisse Gutenbergium, vero simile potius quam contrarium videtur.

Typographicae artis, in secreto primum tractatae, Argentorati inventae, Moguntiaci perfectae, Venetiis potissimum expolitae, primordia, a diversis pro diversarum partium studio, quam diversissime tradita, exponere sinceris e fontibus, candide, breviter & perspicue annisus sum. Exorsus a primis artis triumviris *Gutenbergio*, *Fausto* & *Schoeffero*, primarias *Germaniae*, *Italiae*, *Galliae*, *Belgii*, *Angliae* & *Hispaniae* officinas sum prosecutus, in ea usque tempora, quibus nobilissimam artem illustrarunt novi triumviri, *Aldus Manutius senior*, *Io. Frobenius* & *Robertus Stephanus I.* Vale Lector & fave Argentoratensi homini, qui in enarrandis typographicae artis natalibus, inter fallacium opinionum scopulos, arduum veri tramitem sectatus est curiosius.

INDEX CAPITUM.

INITIA TYPOGRAPHICA.

TYPOGRAPHIAE PRAELUDIA.

TYPOGRAPHIAE quae ſolutilibus exercetur literis, praeluſerunt ii qui figuras cum verborum textu, ligneis tabulis inſculptas, transtulerunt in chartam; cuius artis, in Germania natae *a*) inſigne monumentum anni 1423. in Buxienſi prope Memmingam Carthuſia detexit *De Heinecken*. *b*) quod aeri incisum exhibet Cel. *De Murr*. *c*) Tabulae huius, in folio minori, princeps figura ſiſtit imaginem S. Chriſtophori, cui ſubiiciuntur ſequentia, ligno pariter inſculpta: *Criſtofori faciem die quacunque tueris. Illa nempe die morte mala non morieris. Milleſimo CCCC° XX° tercio.* Alterum figuratae huius tabulae exemplum Vindobonae penes Dn. De Birkenſtock vidiſſe Breitkopfium, monet idem *De Murr*. *d*) Eiusdem generis monumentum S. Sebaſtiani martyrium exhibens, cum ſubiectis precibus & duplici nota anni 1437, in San-Blaſiana Silvae nigrae abbatia repertum eſt. *e*)

Sacrae hiſtoriae figuras cum verborum textu ligno inciſas, ad luſoriarum chartarum menſuram, Guelpherbytana bibliotheca aſſervat; *f*) has figuras pariter ac Sanctorum imagines impreſſiſſe videntur fabricatores luſoriarum chartarum, in quibus fabricandis

a) Fournier ſur l'Origine de l'art de graver en bois. Paris 1758. p. 20.
b) Idée d'une collection d'Eſtampes avec une Differt. ſur l'origine de la Gravure & ſur les premiers livres d'Images. Leipſic & Vienne 1771. p. 250.
c) Journal zur Kunſtgeſchichte. Nürnb. 1775. Tom. II. p. 104.
d) Merkwürdigk. Nürnbergs, zwote Ausg. 1801. p. 698.
e) Heinecken Neue Nachrichten von Künſtlern u. Kunſtſachen. Dresden u. Leipz. 1786. p. 143.
f) Heinecken Idée p. 249.

vetustissimae imprimendi rationis vestigia deprehendi, iam observavit *Anonymus Anglus* a. 1703. *g*) Ligneae quippe formae, atramento illitae, Chartarii humidam imponunt chartam, quam ad illam formam valentius apprimunt ope instrumenti Germanis *Reiber*. Gallis *Frotton* dicti; impressas hoc modo lusorias chartas variis ut ornent coloribus, diversas illis superimponunt patronas, quarum per exscissa foramina colorem penicillo in charta diffundunt.

Lusorias chartas iam a. 1299 apud Italos in usu fuisse compertum est: *h*) has primitus pictas tantum fuisse monet Cel. *Fournier; i*) post autem, ubi magis invaluit illarum usus, impressas tandem esse, coloribusque distinctas; citat insuper *Menetrierium k*) qui, ubi memorat lusorias chartas anno 1391 in usum Caroli VI Galliae regis pictas, addit, Germanos qui primi fuerunt in ligno sculptores, primos quoque lusoriarum chartarum formas sculpsisse. Lusorias chartas figurasque pictas ante a. 1441 tam Venetiis quam alibi fuisse impressas, testatur Documentum anni 1441, quo Veneti chartarii apud Senatum conquesti sunt, chartarum figurarumque Venetiis *impressarum* mercatum grave detrimentum pati e chartis lusoriis figurisque extra Venetias insigni numero pictis & *impressis. l*) In Norimbergensium civium matricula a. 1433 occurrit *Kartenmacherin*, a. 1438 *Kartenmalerin. m*) Lusoriarum chartarum sarcinas Ulma in Italiam Siciliamque transmitti consuevisse, Ulmae scripsit a. 1489 Felix Faber. *n*)

Lusorias chartas apud Germanos primitus *Briefe* appellatas esse, hodieque in quibusdam Germaniae regionibus, praesertim apud ruricolas, sic appellari monet *Heinecken o*) consentiente *Breitko-*

g) ap. Wolf Monumenta Typograph. Hamburgi 1740. Tom. II. p. 981.
h) Heinecken Neue Nachr. p. 136. Breitkopf Ursprung der Spielkarten 1784.
i) Sur l'art de Graver en bois p. 24 sq.
k) Biblioth. curieuse & instructive.
l) Lettere Pittoriche Tom. V. p. 321. Heinecken Idée p. 245 sq. & Nachr. von Künstlern u. Kunstsachen Leipz. 1768. Tom. II. p. 90.
m) e Murrio Heinecken Neue Nachr. p. 138.
n) in Hist. Suev. L. II. cap. 4. ap. Goldastum Script. rer. Suev. Francof. 1605 4. & Ulmae 1727. fol.
o) Nachr. von Künstlern T. II. p. 92. Idée p. 240.

pfio. *p*) In Francofurtana civium matricula a. 1459 legitur *Hans von Pedersheim* (Pfeddersheim) *Briefdrucker.* *q*) Norimbergae a. 1472 *Iunghans Briefmaler* xylographicum libellum cum figuris exaravit; *r*) eiusdemque generis libellum a. 1473 excudit *Hans Sporer Briefmaler* sine indicio loci. *s*) Bambergae a. 1493 quidam *Hans* in opusculis mobili charactere impressis se modo *Briefmaler*, modo *Briefdrucker* appellat. *t*)

Hi quippe artifices a sanctorum imaginibus sacrisque figuris cum verborum textu impressis, ad imprimendos libellos imaginum xylographicos facile transierunt; cuius generis libellos etiam post inventos typos fusos exarare perrexerunt. Extant certe xylographici imaginum libelli sine indicio anni, loci et artificis, anopistographi i. e. ab una tantum folii parte impressi, ita quidem ut excusae paginae sese invicem respiciant, pariter ac vacuae, quae ubi conglutinatae sunt, foliorum ab utraque parte impressorum speciem praebent. Vacua singulorum foliorum pagina laevigata et fusca apparet; unde tritoris ope, uti lusoriae chartae, excusi videntur hi libelli. *u*) Duplicis vero generis sunt: in aliis verborum textus in eadem cum figuris pagina, iisdem intermixtus, comparet; in aliis textus diversam a figuris paginam solus occupat: prioris generis sunt *Biblia Pauperum*, *Apocalypsis* & *Historia b. Mariae e Cantico:* posterioris generis sunt *Ars moriendi*, *Ars memorandi per figuras Evangelistarum*, et libellus germanicus der *Entkrist* i. e. Antichristus. In quibusdam horum libellorum, intra ipsam figurarum aream, verba quaedam aplustribus dependentibus ita inserta sunt, ut ex ipso figurarum ore proficisci videantur; cuius moris qui proximis ante inventam typographiam seculis viguit, exempla in templorum illius aevi monumentis, tabulis scilicet vitrisque pictis passim conspicere licet.

1. *Biblia* sic dicta *Pauperum* ad antiquiores codices MSS. expres-

p) Ursprung der Spielkarten p. 42.
q) Münden drittes Jubelfest der Buchdruckerkunst. Francf. 1741. p. 173.
r) Heinecken Idée p. 392.
s) Ibid. p. 421 sq. Nachr. T. II. p. 216.
t) De Murr Merkwürdigk. Bambergs. Nürnb. 1799 p. 283 sq.
u) Heinecken Nachr. T. II. p. 91 sq.

fa funt, e quibus Guelpherbytanus membranaceus Sec. XIII vel XIV, figuris ornatus, fic orditur: *Incipit Biblia Pauperum. x)* Exaratus enim videtur hic libellus eorum in gratiam, qui integri Bibliorum codicis MS. enorme tunc temporis pretium *y)* folvere haud valebant. Haec Biblia Pauperum in forma folii conftant 40 foliis anopiftographis, quorum fingulorum figurae tres primariae ita funt collocatae, ut illarum media exhibeat historiae Chrifti particulam; duae autem reliquae, ab utroque illius latere pofitae, fiftunt totidem veteris Teftamenti historias, quae illam hiftoriae Chrifti particulam praefiguraffe ignoto operis auctori vifae funt. Sic primum folium, quod aeri incifum exhibet *Schelhorn. z)* fiftit Annunciationem Mariae; ab uno eius latere Evam cum ferpente, ab altero Gideonem, edendum in vellere fignum a Deo exorantem. Huius libelli quinque editiones latinas curate defcripfit *Heinecken. a)* e quibus una decem tabulis figuratis reliquas fuperat, adeoque 50 icones complectitur. *Germanica* quoque Bibliorum Pauperum verfio extat, inter cuius editiones funt tres xylographicae et anopiftographae, quarum unam a. 1470 Nordlingae excuratam per Frid. Walther pictorem et Io. Hürning, defcripfit Cel. *Zapf; b)* duas reliquas, alteram anni 1472, alteram anni 1475, ignoti artificis fcutis ornatas, defcripfit *Heinecken. c)* De Bibliis Pauperum Germanicis opiftographis, quae mobilibus typis cum figuris ligno incifis circa a. 1461 Bambergae impreffit Alb. Pfifter, fuo loco fub Bamberga agemus.

Bibliis Pauperum perquam affine eft *Speculum Salvationis*, pariter anopiftographum, cum figuris ligno, fed magis perite, incifis. Huius Speculi prima editio partim fixis partim mobilibus typis excufa eft, reliquae omnes folis mobilibus typis impreffae sunt.

x) Heinecken Idée p. 329. Meermann Orig. typogr. Hagae Com. 1765. P. I. p. 241.

y) Schelhorn ad Quirinum de primis Edition. Romanis. Lindaugiae 1761. p. 104 fq.

z) Amoen. literariae. Tom. IV. p. 296. Frf. & Lipf. 1725.

a) Idee p. 292 fq.

b) Ueber eine Ausgabe Io. de Turrecremata in Pfalterium Nürnb. 1803 p. 33. & Tab. IV.

c) Idee p. 323 fqq.

De his editionibus Speculi quod cum Bibliis Pauperum confuderunt aliqui, inferius sub Harlemo plura dicturi sumus.

2. *Apocalypsis* vel *Historia S. Iohannis Evangelistae* constat 48 tabulis figuratis, in duas plerumque icones divisis, quibus singulis inserta est brevis explicatio, vel sententia quaedam Apocalypseos. Expressus est hic libellus iuxta MSS. codices, quales sunt Bodlejanus *d*) & Parisinus caesareus. *e*) Sex huius libelli editiones describit *Heinecken*. *f*) Editionem in Harlemensi curia demum ab a. 1654. asservatam, referunt quoque tria exempla sequentia, scil. Londinense regium, (olim Uylenbroekii, Batavi) Guelpherbytanum & Bodlejanum: quae tria exempla singula binis semper tabulis figuratis folium eiusdem chartae interpositum habent, cui inscripta est calamo figurarum explicatio Germanica. *g*) Bodlejanum exemplum ab Harlemensi in eo tantum differt, quod illius prioris tria ultima folia litera alphabeti numerica carent. *h*) Germanica haec explicatio MS. extat quoque in exemplo Vindobonensi caesareo, quod diversae ab Harlemensi editionis est. *i*)

3. *Historia b. Mariae e Cantico Canticorum* constat 16 tabulis figuratis, in duas icones divisis, quibus inclusi sunt breves e Cantico versiculi, aplustribus inserti. Duas huius libelli editiones describit *Heinecken*. *k*) qui posteriorem putat eam, cuius exemplum, septem foliis mutilatum, Harlemensis Senatus a. 1654 Hagae-Comitum coëmit; *l*) quamque posteriorem existimat ex eo quod illius primae iconi inclusus est Titulus veteri idiomate Belgico; *m*) constat enim, antiquissimos libros impressos, inprimis xylographicos, carere titulo.

4. *Ars moriendi* continet 24 folia anopistographa, quorum duo

d) Anonymus Anglus ap. Wolf Monum. typogr. T. II. p. 983.
e) Montfaucon Biblioth. Bibliothecarum MSS. Paris. 1739. No. 3724.
f) Idée p. 334 sqq.
g) Ibid. p. 356 sq. & 373. Anonymus Anglus ap. Wolf T. II. p. 983.
h) Meermann Orig. typ. P. I. p. 236.
i) Heinecken Idée p. 349. & Meermann l. c. p. 237.
k) Heinecken Idée p. 374 sqq. Nachr. T. II. p. 189 sqq.
l) Meermann Orig. typ. P. I. p. 117 sq.
m) Ibid. p. 220. & Tab. IX. Heinecken Idée p. 376.

praefamen, undecim folia figuras, totidem reliqua textum gerunt, qui in plerisque paginis 30 circiter linearum eſt. Figurae ſiſtunt decumbentem in lecto aegrotum, qui alternatim in altera tabula pravis daemonum inſuſurrationibus fatigatur; in altera vero angelorum ſanctorumque inſpirationibus in fide morumque ſanctitate confirmatur. Spirituum inſpirationes apluſtribus inſertae ſunt. Daemonum figurae perhorridae ſunt. Septem huius libelli editiones deſcribit *Heinecken. n*) Eiusdem *Germanica* verſio, xylographica aeque & anopiſtographa, in fine inſculptum habet: *Hans Sporer 1843 hat diss puch pruff-moler o*) i. e. Io. Sporer 1473 hunc librum chartarum pictor.

5. *Ars memorandi per figuras Evangeliſtarum* i. e. ars praecipua quatuor Evangeliſtarum argumenta memoriae mandandi. Conſtat 30 foliis anopiſtographis, quorum 15 figuras, totidem reliqua textum, 20 circiter linearum, continent. Figurae exhibent ſingulorum Evangeliſtarum inſigne, ſcilicet aquilam, angelum, leonem ac bovem; haec animalia poſticis pedibus erecte inſiſtentia variis ſunt conſperſa figuris, quibus ea quae ab Evangeliſtis narrantur, velut emblemate adumbrantur; quae certe emblemata piam illius aevi ſimplicitatem produnt. Textus typi grandiores ſunt iis qui in reliquis libellis xylographicis occurrunt, magnitudine ſiquidem ad eos accedunt qui in illius aevi monumentis publicis & epitaphiis adhibiti ſunt, pariter ac in Miſſalibus, in uſum canentis in choro cleri exaratis. Duas opuſculi huius editiones deſcribit *Heinecken. p*)

6. Der *Entkriſt* Antichriſti hiſtoriam narrat, ſubiunctis ſignis extremum iudicium praeceſſuris. Conſtat 39 foliis anopiſtographis, quorum quatuor praefationes & epilogum ſiſtunt, reliqua tabulas figuratas, in duas plerumque icones diviſas, quibus ſingulis praefixa eſt expoſitio Germanica, quatuor fere linearum. Cum Germanico hoc libello convenit MS. codex Latinus Baſileenſis bibliothecae *q*) cui titulus: *Deſcriptio cuiusdam ſapientis de Antichriſti nativitate vel*

n) Idée p. 399 ſqq.
o) Ibid. p. 421. Nachr. T. II. p. 215 ſq.
p) Nachr. T. II. p. 196 ſqq. Idée p. 394 ſqq.
q) Panzer Annalen der deutſchen Litteratur. Nürnb. 1788. p. 4.

falsitate. Libellum hunc Germanicum describit *Heinecken.* r) Extat quoque posterior eiusdem editio, xylographica aeque & anopistographa, in cuius fine insculptum legitur: *Der Iunghanns priffmaler hat das puch zu Nurnberg* 18Λ2, i. e. Iunghanns chartarum pictor hunc librum Norimbergae 1472. s)

Horum sex libellorum tabulae figuratae omnes rudiorem illius aevi artem, sed diversum prorsus in delineando stylum produnt. Quae sunt in *Bibliis Pauperum* figurae, observante *Heineckenio* t) rudem illam sapiunt artem antiquiorum Germaniae pictorum, e quorum schola prodiit peritior *Martinus Schoen,* u) qui obiit Colmariae a. 1486. Horum Bibliorum figuris crassiores quidem sunt, rudiusque delineatae figurae *Apocalypseos;* ast characterem personarum signantius exprimunt, magisque arrident. x) *Cantici* figurae, illum characterem haud exprimunt, insuper tenuiores oblongioresque sunt iis quae in reliquis quinque libellis cernuntur. y) Ab his omnibus stylo prorsus differunt *Artis moriendi* figurae. z) Horum omnium libellorum figuras tantopere inter se discrepare stylo iudicat *Heinecken,* a) quantopere rudiores *Apocalypseos* figurae differunt a figuris *Speculi Salvationis,* quae, pariter licet gothicae, tamen antedictorum sex libellorum figuris peritius delineatae, & peritissime sculptae sunt.

Igitur egregie falluntur auctores Batavi qui, *Scriverio* b) duce, hos imaginum libellos, a diversissima manu profectos, uni eidemque officinae tribuunt, quam Laurentii Harlemensis fuisse fingunt. *Meermannus,* qui *Artem memorandi Evangelistas & Antichristum* sola in Germania lucem aspexisse fatetur, c) ut reliquos illos imaginum libellos Laurentianae officinae vindicaret, eidem solam illorum li-

r) Idée p. 384 sqq.
s) Ibid. p. 392.
t) Ibid. p. 305. Nachr. T. II. p. 129.
u) Heinecken Neue Nachr. p. 402 sqq.
x) Idem Nachr. T. II. p. 187.
y) Ibid. p. 189.
z) Ibid. p. 208. Idée p. 400.
a) Idée p. 372.
b) in Laure-crans. Harlemi 1628. ap. Wolf T. I. p. 404 sq.
c) Orig. typogr. P. I. pag. 245.

bellorum impressionem tribuit, dicitque, nullo fundamento nonnullos existimasse, ipsum Laurentium figuras delineasse & sculpsisse. *d*) Verum hoc ipso asserto Meermannus convellit auctoritatem *Adr. Iunii*, qua praecipue nititur omnis illa de Laurentiana typographia opinio: hic enim Iunius diserte tradit, Laurentium *pinaces totas figuratas* additis characteribus expressisse; quibus verbis Laurentio adscribi artem tabulas incidendi figuratas, cum Scriverio *e*) vident omnes. Qui sculpsit illorum libellorum imagines, sculpere quoque potuit adiunctum illis verborum textum, sed non vice versa: iam vero si imagines illas haud sculpsit Laurentius, uti ipse contendit *Meermann*, adhaerentem illis iconibus verborum textum sculpsisse eundem Laurentium, quis credat? Repertus in Germaniae bibliothecis insignis prorsus illorum libellorum numerus, quos magna ex parte vidit descripsitque *Heinecken*, satis ostendit, Germaniae deberi istos libellos.

PRIMA TYPOGRAPHICAE ARTIS TENTAMINA

ARGENTORATI AB IO. GUTENBERGIO, MOGUNTINO, FACTA.

IOANNEM GAENSFLEISCH de *Sulgeloch*, dictum *Gutenberg*, Moguntinum Equitem, Argentorati minimum ab a. 1434 usque in annum 1444 per decennium esse commoratum, ibique prima typographicae artis fecisse tentamina, invicte probant Documenta illius decennii Argentoratensia, a *Schoepflino* a. 1760 edita. *f*.) Immo iam a. 1424 Argentorati fuit Io. Gutenbergius, si hic idem est ac is *Henne Gaensfleisch*, dictus *Sulgeloch*, cuius Literas a. 1424 Argentorati datas ad sororem Bertham, monialem S. Clarae Moguntiae, detexit Cel. *Bodmann*. *g*) Unde facile contigit, ut Io. Gutenbergium Argentorati natum scriberent *Io. Phil. de Lignamine*. *h*)

d) Ibid. p. 107.
e) Laure-crans ap. Wolf T. I. p. 424 sqq.
f) in Vindiciis typograph. Argentorati 1760.
g) Edidit Fischer in Essai sur les monumens Typographiques de Jean Gutenberg. Mayence 1802. p. 23.
h) in Contin. Chronici Ricobaldini ad a. 1458. Romae 1474. ap. Muratorium Script. rer. Ital. T. IX. col. 270.

Bapt. Fulgosus, Genuensis, ante a. 1494, *i*) *Coloniense Chronicon* impressum a. 1499, *k*) *Iac. Wimpheling* a. 1502 Argentorati scribens, *l*) *Io. Arnoldus Bergellanus* a. 1541 Moguntiae canens, *m*) aliique.

Hic *Io. Gutenberg* equestri apud Moguntinos stirpe prognatus est, *n*) cui a duabus illius urbis aedibus, alteris *Zum Gaensfleisch o*) (ad Anserinam carnem,) alteris *Zum Guten Berg p*) (ad Bonum montem) insignitis nomen adhaesit, pariter ac a Moguntini pagi vico *Sorgenloch* vel *Sulgeloch*. *q*) Equitis titulo, *Iunker*, ornatur Gutenbergius in Instrumento Moguntino Helmaspergeri, Notarii, a. 1455 *r*) & in Chronico Coloniensi anni 1499. *s*)

Nomen, genus, & quam exercuit artem ipse Gutenbergius declarat in *Documento Moguntino* anni 1459, quod ante hos annos eruit Cel. *Bodmann*, edidit Cel. *Fischer*, *t*) e quo huc pertinent sequentia, e germanico latine versa: „Nos *Henne* (Ioannes) *Gens*„*fleisch de Sulgeloch*, dictus *Gudinberg*, & nos *Friele Gensfleisch* „fratres. . . consilio & assensu cognatorum nostrorum *Henne* & „*Friele* & *Pedirmann Gensfleisch* fratrum Moguntiae . . . renuntia„mus omnibus iis bonis quae per sororem nostram *Hebele*, mo„nialem S. Clarae Moguntiae, huic monasterio obtigerunt sive a „parte *patris nostri Henne Gensfleisch*, vel alio quocunque modo. . . . „Ego quoque supradictus *Henne libros a me vel iam impressos vel* „*in posterum imprimendos*, quibus uti velint moniales illius mona„sterii, eidem donabo." Nostri Gutenbergii pater *Henne Gens*-

i) in Factis memorabilibus, latine editis Mediolani a. 1508. Vid. Meermann P. II. p. 132.
k) ap. Wolf T. I. p. 410.
l) in Epit. rer. German. cap. 65.
m) de Chalcographiae inventione ap. Wolf T. I. p. 16.
n) Ioannis Script. rer. Mogunt. T. III. p. 456. Koehler Ehrenrettung Io. Gutenbergs. Leipz. 1741. p. 15 & 78.
o) Koehler l. c. pag. 9, & in Docum. p. 66. lit. X. Gudenus Codex Diplom. T. II. p. 524.
p) Koehler l. c. p. 14, & in Docum. p. 66. lit. Y. Gudenus l. c. p. 526.
q) Ioannis T. II. p. 925. Helwich Monum. Moguntina, voce Sorgenloch.
r) ap. Wolf monum. Typogr. T. I. p. 475.
s) Ibid. p. 410.
t) in Essai sur les monumens Typograph. de Gutenberg p. 46.

fleiſch idem forſan eſt ac is qui in Diplomate Adolphi Naſſoviae comitis a. 1401 vocatur *Iohann Gensfleiſch der Iunge.* cui conferuntur feuda defuncti patris *Claus von Gudenberg. u*) Erroneae ergo ſunt diverſae illae genealogiae, quae Gutenbergio noſtro alium quam *Ioannem* Gensfleiſch patrem tribuunt, quarum genealogiarum alteram confecit *Humbracht. x*) alteram *Koehler. y*) Si, quod fingit *Meermann. z*) noſter Io. Gutenberg vel Gaensfleiſch fratrem habuisset *Io. Gaensfleiſch Seniorem.* ex ſenio caecum, quem fingit a. 1441 Laurentii Harlemenſis typos furto transtuliſſe Moguntiam, ibi a. 1442 libros excudiſſe, & Gutenbergio, a. 1445 Moguntiam reduci, in consummanda arte ducem fuiſſe, immo anno adhuc 1456 erogatae ab *Henne zum Iungen* pecuniae teſtem adfuiſſe, *) hic, inquam, Io. Gutenbergio affictus frater, Io. Gaensfleiſch, ſenior, ſi revera extitiſſet; in vivis adhuc fuiſſet a. 1459, adeoque in illa Gaensfleiſchiorum fratrum huius anni Charta erat nominandus.

Typographica Gutenbergii Argentinae tentamina, *Wimphelingio a*) & *Bergellano b*) memorata, ipſis poſt Argentinenſibus minus cognita, in apricum tandem produxit erutum a. 1745 publici Argentinenſis tabularii cuſtode *I. Henr. Barthio c*) Documentum anni 1439, quod continet plurium teſtium coram Senatus delegatis effata, in cauſa litis quam Gutenbergio intenderant fratres defuncti *Andreae Drizehnii.* ſenatoriae gentis viri, *d*) quem praecipuum in tentata arte adiutorem habuerat Gutenbergius; in cuius etiam Drizehnii aedibus prelum erat Gutenbergii, qui extra moenia ad S. Arbogaſti monaſterium quod erat ad Ellum, ſedebat. *e*)

u) in Docum. ap. Koehler Ehrenrett. Gutenb. p. 74.
x) Rheiniſche Ritterſchaft. Frf. 1701. Tab. 47.
y) Ehrenrett. Gutenbergs p. 76.
z) Orig. Typogr. P. I. p. 172.
*) Ibid. p. 167. in Notis No. V.
a) in Epitôme rer. German. cap. 65.
b) ap. Wolf Monum. Typ. T. I. p. 16.
c) Teſte Schoepflino in Alſatia illuſtr. T. II. p. 347.
d) Eiusd. Vind. Typogr. p. 18.
e) Ibid. in Docum. p. 7 & 9.

Secundum illorum testium effata I°. circa a. 1436 *Io. Dünne* aurifaber pro rebus ad impressionem (*zu dem Drucken*) pertinentibus centum florenorum summam a Gutenbergio accepit. *f*) Prelum confecit *Conr. Saspach. g*) A. 1438 paucis ante Drizehnii obitum diebus, Gutenbergius ex illius aedibus omnes *formas* (*Formen*) ad se deferri iusserat, quae ipso inspiciente disiectae sunt, quoniam quarundam ex iis ipsum poenituit. *h*) *Formas* vocarunt singulares literarum typos *Io. & Vindel. de Spira* a. 1469 & 1470, *i*) *Franc. Philelphus* a. 1470, *k*) *Lud. Carbo* a. 1471, *l*) & *I. Phil. de Lignamine* a. 1474. *m*)

II°. Post obitum huius Drizehnii, qui quatuor paginas (*Stücke*) in prelo inferius repositas habuit, illius fratri Nicolao Gutenbergius confestim per famulum suum Laur. Beildeck mandavit, ne cuiquam prelum monstraret; quin potius illud prelum quod duabus cochleis constrictum erat, aperiret, ut paginae dilaberentur in partes, easque partes ipse vel intra vel supra prelum poneret; tunc neminem rem vel inspecturum, vel aliquid eius intellecturum esse. *n*) Quod hîc dicitur *prelum cochleis constrictum*, haud designare potest prelum proprie sic dictum, sed denotat margines ferreas (*die Rahmen*) quibus constringi solent mobiles literae in paginas compositae. *o*) E superstitibus quoque duobus Gutenbergii sociis alter, Andr. Heilmann monuit Conr. Saspachium: *p*) „Cum obie„rit Andr. Drizehn, tu vero prelum confeceris, reique conscius „sis, abi, tolle ex prelo paginas & disiice eas (*zerlege sie von„einander.*) tunc nemo sciet quid rei sit. Vox *zerlegen* hodieque apud typographos denotat disiicere mobiles literas, quas in paginas composuit typotheta; *décomposer* Galli vocant.

Iam vero si non solutilibus typis, sed tabulis insculptis constitis-

f) Ibid. p. 13.
g) Ibid. p. 6.
h) Ibid. p. 12.
i) in Cicerone ad Famil. a. 1469, & Livio a. 1470. Venetiis impress.
k) Lib. XXXII. epist. 13. ap. Meermann P. II. p. 111.
l) in Epist. dedicat. Plinii Epist. Venetiis ap. Meermann P. II. p. 113 sq.
m) in Chron. ad a. 1458. ap. Meermann P. II. p. 117.
n) ap. Schoepfl. in Docum. p. 6 & 8 sq.
o) Meermann Orig. Typ. P. I. p. 13.
p) ap. Schoepfl. in Docum. p. 6.

detur ut excusis libris faceret quaestum: hoc enim ibi si esset assecutus, haud facile rediisset Moguntiam, cuius Senatui ob non persolutos sibi plurium annorum census, apertum bellum indixerat, capto illius civitatis grammateo Nicolao, quem nonnisi intercedente Argentinensi Senatu a. 1434 liberum dimisit. *n*) Hanc autem litem eodem anno amice compositam esse, perperam colligit *Schelhorn o*) ex eo quod Ioanni Gudenberg, filio *Frielii* Gaensfleisch, quem nostri Io. Gutenbergii patrem fuisse perperam credidit, annuum censum pendere promiserunt Moguntini. *p*) Illud certe bellum patriae indictum, venditique a. 1442 a Gutenbergio reditus Moguntini, ex haereditate avunculi ad ipsum devoluti, monente *Schoepflino*. *q*) Gutenbergii animum Moguntiam redeundi profecto non produnt. Si prospero artis suae successu usus fuisset Argentinae Gutenbergius, equestri ordini adscriptus, haud verosimile videtur, rediturum eum fuisse Moguntiam a. 1445, quo scilicet anno Moguntini Senatu moverunt omnes prorsus equestris ordinis viros, *r*) quibus a. 1430 pro tertia inter Senatores parte sedere permiserant. *s*)

Argentorato Moguntiam concessisse Gutenbergium, scripsit Argentorati a. 1502 *Iac. Wimpheling*, Selestadiensis: *t*) „A. C. 1440 „*Io. Gutenberg* Argentinensis .. primus artem impressoriam *in ur*„*be Argentinensi* adinvenit: inde *Moguntiam* veniens eandem fe„liciter *complevit*. Interea *Io. Mentel* id opificii genus inceptans, „multa volumina castigate ac polite Argentinae imprimendo fa„ctus est brevi opulentissimus.“ Quibus verbis Wimphelingium docere existimant *Tenzel u*) & *Koehler*. *x*) Gutenbergium quidem Argentinae artem invenisse, ast non ipsum, sed Mentelium eandem

n) Ibid. in Docum. p. 3.
o) in Diatribe praelim. ad Quirinum p. 15.
p) ap. Koehler in Docum. p. 82. no. 16.
q) in Vind. Typogr. p. 16 & 24 sq.
r) Koehler Ehrenrett. Gutenb. p. 15 sq.
s) Ibid. in Docum. p. 68.
t) in Epit. rer. German. cap. 65.
u) Erfindung der Buchdruckerkunst, Gotha 1700. p. 54. ap. Wolf Mon. Typ. T. II. p. 175.
x) Ehrenrett. Gutenb. p. 6.

ibidem primum exercuisse. *Bergellanus* scribit, *y*) Io. Gutenbergium Argentinae natum, *primitias laboris ibi formare coepisse*, at *Moguntiae maturum artis opus protulisse;* metallicos quidem typos manu sculpsisse, hunc vero laborem tanto ipsi constitisse, ut inceptum deseruisset opus, nisi Io. Fausti consiliis ac facultatibus fuisset adiutus.

Nullus adhuc repertus est liber, quem, ante excusos Moguntiae libros, Argentorati e Gutenbergii officina prodiisse prorsus eviceris. Extat quidem libellus, cui titulus: *Liber de Miseria humane condicionis Lotarii Dyaconi Cardinalis,.. qui postea Innocentius Tercius appellatus est. Anno Domini MCCCCXLVIII;* sine nota loci & typographi. *z*) Innocentius III obiit a. 1216; unde annum 1448 impressionis annum designare putares. Verum cum plures MSS. codices repererit *Scriverius*, *a*) in quibus significarunt librarii quo anno liber transscribendo absolutus fuerit, cumque porro constet, Seculi XV. typographos saepius expressisse omnia quae in MS. codice repererant; *b*) annus iste 1448, in libri non fine, sed titulo positus, haud designare videtur eum quo impressus est ille libellus, sed eum quo transscriptus fuit ille codex, ad quem hunc libellum expressit typographus, uti iam monuerunt *Schelhorn*, *c*) *Denis d*) & *Panzer*. *e*) Huius libelli typi, grandiores, quorum specimen aeri incisum exhibet *Schoepflin*, *f*) observante Rev. *Braunio g*) iidem sunt cum typis *Guillelmi Postillae in Evang. & Epist.* sine nota loci & typographi, sed impressionis annus 1474 innuitur in prima folii 258 pagina.

Fabricatos rudi minerva typos, minusque perite in lineas compositos, certum primae Argentinensis typographiae & incunabulo-

y) Versu 54, 55, 103-116. ap. Wolf T. I. p. 16 & 19 sq.
z) Schoepflin Vind. Typ. p. 40.
a) in Laure-crans p. 73. ap. Wolf. T. I. p. 367.
b) Mercier Suppl. à Marchand p. 119 & 184.
c) in Diatr. praelim. ad Quirinum p. 9.
d) Supplem. Maittairii p. 605.
e) Annal. Typogr. T. I. p. 97.
f) Vind. typ. Tab. I.
g) Notitia Libror. Sec. XV impress. P. I. p. 102.

rum artis indicium esse, haud amplius asserere licet, ubi plurimi inventi sunt libri, post annum 1470 licet impressi, memoratis defectibus laborantes, quorumque fabrica illius *De Miseria* libelli ruditatem excedit. Vidi hîc Argentorati *Contemplationes Io. de Turrecremata* anno 1472 sine loco & typogr. impressas, quae typorum formam si spectes, Hambergero *h*) quoque iudice, anno quem gerunt longe vetustiores esse videntur. Vidi ibidem in biblioth. Cl. *Brunneri. Henr. Steinhoewel.* Ulmensis archiatri, *Ordnung wie man sich zur Pestzeit verhalten soll. i*) libellum 32 foll. in 4. min., cum nota anni 1474 typis expressa, sine loco & typogr. cuius certe libelli fabrica adeo rudis est, ut primum typographicum tentamen esse putares. In Bibliis germanicis a. 1477 per Anton. Sorg Augustae Vind. impressis typorum ruditas & inaequalis compositio, *Panzero k*) observante, remotiorem antiquitatem prodere crederes.

TYPOGRAPHICA ARS MOGUNTIAE PERFECTA.

Redux Moguntiam Io. Gutenberg, consummandaeque arti intentus, socium adscivit *Ioannem Faust.* vulgari dialecto *Fust* dictum, virum locupletem, cui frater fuit *Iacobus Faust. l*) aurifaber, qui inter Moguntiae Consules fuit anno 1462, quo haec libera tunc Germanici imperii civitas, cum Dietheri Archiepiscopi a Pio II. Papa exauctorati partes sequeretur, ab Adolpho, in illius locum suffecto, nocturnis insidiis capta, afflicta & subiugata est. *m*) Gutenbergium Faustumque socios ab anno circiter 1450 iuvare coepit *Petrus Schoeffer* vel *Schaeffer.* latine *Opilio.* Gernshemio Moguntini tunc electoratus oppido oriundus, post Io. Fausti gener fa-

h) Nachrichten von den vornehmsten Schriftstellern, Lemgo 1756. T. IV. p. 789.

i) Duas alias huius libelli editiones recenset Panzer Annalen der deutschen Litter. p. 37 & 73. & libros ab eodem Steinhoewel Germanice versos p. 27, 50 & 52.

k) Nachr. von den seltesten deutschen Bibeln. Nürnb. 1777, p. 57.

l) Instrum. Helmaspergeri a. 1455. ap. Schwarz P. I. p. 6 & 21. Koehler p. 100,

m) Helwich Moguntia devicta, ap. Ioannis Script. rer. Mogunt. T. II. p. 188.

ctus, qui a. 1449 Parisiis adhuc calligraphi & scribae librarii munus exercuit; *n*) cuius generis scribae, aeque ac Notarii, *Clerici* dicebantur: *o*) unde hodieque apud Gallos vox *clerc* amanuensem scribam designat.

Principes hos Typographorum triumviros, singulorumque in arte vel invenienda vel perficienda partes prae ceteris illius aevi scriptoribus uberius curatiusque descripsit a. 1514 *Io. Trithemius*. Spanheimensis abbas, vir sui temporis doctissimus, arcanarumque artium scrutator solers, adeo quidem ut ob scriptam *Steganographiam* magiae a quibusdam fuerit incusatus. *p*) Hic typographicae artis origines, quas ex ipsius Petri Schoefferi ore se hausisse profitetur, in *Annal. Hirsaug.* ad a. 1450 sic exponit: *q*) „His „temporibus in civitate Moguntina Germaniae... inventa est ars „illa mirabilis imprimendi & characterizandi libros per Io. Gu„tenberger, civem Moguntinum: qui cum omnem pene substan„tiam suam pro inventione huius artis exposuisset... iamque pro„pe esset ut desperatus negotium intermitteret; *consilio* tandem „& *impensis Ioannis Fust*. aeque civis Moguntini, rem perfecit „inceptam. Inprimis igitur characteribus literarum in *tabulis ligneis* „per ordinem scriptis, formisque compositis Vocabularium *Ca„tholicon* nuncupatum impresserunt; sed cum iisdem formis ni„hil aliud potuerunt imprimere, eo quod characteres non fuerunt „amovibiles de tabulis, sed insculpti. Post haec inventis succes„serunt subtiliora, *inveneruntque* (Gutenbergius & Faustus) *mo„dum fundendi formas omnium latini alphabeti literarum* quas ipsi „*matrices* nominabant, ex quibus rursum *aeneos* sive *stanneos cha„racteres fundebant*. ad omnem pressuram sufficientes. Et revera, „sicuti ante triginta ferme annos ex ore *Petri Opilionis de Gerns„heim* audivi... magnam a primo inventionis suae haec ars im„pressoria habuit difficultatem. Impressuri namque *Bibliam*, prius„quam tertium complessent in opere quaternionem, plusquam „4000 florenorum exposuerunt. *Petrus* autem memoratus *Opilio*.

n) Doc. ap. Schoepfl. Vind. Typ. Docum. Num. VII.
o) Instrum. Helmaspergeri 1455 ap. Wolf T. I. p. 481.
p) Fabricii Biblioth. Lat. mediae ac inf. aetatis L. IX.
q) Edit. San-Gallensis 1690. T. II. p. 421. *Hirsaugiense* olim monasterium Würtembergicae ditionis est.

tantum facultatibus consiliisque eandem iuvisse. Sic quoque *Ioannes Schoeffer*, Petri filius, Fausti nepos, a. 1505 ad Maximilianum caesarem scripsit, *e*) Io. Gutenbergium a. 1450 typographicam artem invenisse; eamque post studio, labore ac sumptibus Io. Fausti & Petri Schoefferi expolitam esse atque firmatam. Postea tamen idem Io. Schoeffer a. 1509, 1515 & 1516 scribere ausus est: *f*) „Io. *Fusth* impressoriae artis *primarius auctor*, qui tandem „imprimendi artem *proprio ingenio excogitare specularique* coepit „anno 1450; anno autem 1452 perfecit, deduxitque eam in opus „imprimendi, opera tamen ac multis necessariis adinventionibus „*Petri Schoefferi de Gernsheim*, ministri suique filii adoptivi, cui „etiam filiam suam Christinam nuptui dedit." Memoratae Relationis auctor venditat, *g*) se narrare ea quae beatus pater suus a suis parentibus maioribusque quasi per aures & manus accepta, sibi partim ore retulerit, partim literis consignata reliquerit. Male fida haec Relatio, quam, dum in MS. latebat, exscripsit *Salmuth* a. 1629, *h*) multos decepit, ut debitam Gutenbergio gloriam tribuerent Fausto. Maiorem fidem merentur ea quae superius scripsit edoctus a Petro Schoeffero *Trithemius*.

Illud *Catholicon*, quod fixis typis impressisse Gutenbergium & Faustum narrat Trithemius, *Catholicon* esse *Io. Ianuensis*, opinati sunt *Marchand i*) *Koehler k*) & *Fournier. l*) Verum tantae molis opus, cuius editio Moguntina a. 1460 constat 372 foliis formae maximae, ligneis tabulis insculptum esse haud facile credas; unde Catholici fixis typis excusi nomine Trithemius designare videtur *Donati* Grammaticam pro puerulis, 24 paginarum libellum, cuius frequentissimus tunc erat in scholis usus; cui etiam ob id ipsum Catholici nomen tribuebatur. Haec probe intellexerunt monitus a

e) in Dedicat. Livii germanice versi a. 1505. ap. Schwarz P. I. p. 24.
f) in finalibus Breviarii Moguntini 1509, Trithemii Brev. Hist. Francorum 1515, & Brev. Mindensis 1516 ap. Meermann Orig. Typ. P. II. p. 146 sq.
g) ap. Wolf T. I. p. 466.
h) in Append. Comment. ad Pancirollum, editionis Francof. 1629. ap. Wolf T. I. p. 702 sqq. & Marchand Hist. de l'Imprim. P. II. p. 53 sqq.
i) Hist. de l'Imprim. P. I. p. 12-14.
k) Ehrenrett. Gutenb. p. 36.
l) Origine de l'Imprim. p. 186.

Schoepflino Meermann. m) *Heinecken* n) & *Mercier.* o) Huius libelli duae *tabulae ligneae*, quas in Germania olim coëmit *Foucault.* p) nunc in Parisina Bibl. caesarea asservantur; ad diversas pertinent Donati editiones, quarum altera 20 in pagina lineas, altera 16 habet. q) Prioris tabulae specimen dedit *Heinecken*, r) monuitque, eiusdem literas simillimas esse typis Bibliorum missali charactere minori excusorum, quae iam constat rubricata esse Moguntiae a. 1456. Utriusque tabulae specimen exhibet *Debure*, s) qui in earum altera observavit Signaturam C.

Has *Signaturas*, plagularum seriem literis alphabeti indicantes, a Typographis post a. 1470 demum esse adhibitas, ostendunt *Middleton*, t) *Marolles*, u) & *La Serna*, x) qui docet, has Signaturas primum adhibitas esse a. 1472 Coloniae ab Io. Koelhof in Nideri Praeceptorio div. Legis; quae vero ante a. 1472 citantur cum Signaturis editiones, vel fictas esse, vel impressionis Datum vitio laborare. In MSS. tamen codicibus vetustioribus has literas vel notas numerales se deprehendisse testatur *Anonymus Anglus.* y) Eiusdem *Donati* lignea tabula ex Huberiana Basileae bibliotheca ad Meermannum transiit, qui, an ex prima illa editione Moguntina sit, vehementer dubitat. z)

Donatum, parvum et frequentissimi usus libellum, fixis potius quam mobilibus typis imprimere iuvabat: nec ex eo colligere licet, Gutenbergium antea Argentorati haud fabricasse mobiles literas; hae enim ad maioris molis volumina excudenda potissimum re-

m) Orig. Typogr. P. I. p. 150.
n) Idée p. 258.
o) Supplem. à Marchand p. 19.
p) Heinecken Idée p. 237.
q) Fischer typogr. Seltenh. III. Lief. p. 27 sq.
r) Idée p. 257.
s) in Catal. de la biblioth. De la Vallière P. II. p. 9.
t) Origin of Printing. in England, Cambridge 1735.
u) Dissert. sur les Signatures, in Esprit des Journaux, Mai 1782.
x) Origine des Signatures, Bruxelles 1795. Germanice ap. Fischer typogr. Seltenh. V. Liefer. p. 7-52.
y) ap. Wolf T. II. p. 983.
z) Orig. Typogr. P. II. p. 288 in Indice.

quirebantur. Immo post inventos typos fusos, fixis typis impressos esse libellos imaginum, eos etiam in quibus textus diversam a figuris paginam occupat, supra iam vidimus. *Biblia Pauperum* germanica, circa a. 1462 Bambergae mobilibus licet typis impressa, fixis tamen post excusa sunt a. 1470 & 1475.

Post impressum typis fixis Catholicon vel Donatum, de Gutenbergio & Fausto Trithemius narrare pergit, eosdem invenisse modum fundendi formas omnium alphabeti literarum, quas *matrices* nominabant, ex quibus aeneos sive stanneos characteres fundebant, non uni tantum libro sed pluribus imprimendis inservientes. Fundendorum vero typorum sic procedit fabrica: Singulae alphabeti literae, oblongi chalybis capiti insculptae, formant archetypos qui Gallis *Poinçons*, Germanis *Punzen* vel *Stempel* dicuntur; hi archetypi malleo incuduntur cupreae *matrici*, quae inditur fusae ex orichalco machinae vel modulo, cui infunditur liquefacta igne mixtura metallica, quae in matrice figuram literae accipit. Illam ex orichalco machinam uberius describit *Paulus Pater*. a) additque, metallicam mixturam, e qua conflantur typi, inter praecipua artis suae arcana habere typorum fusores. Hos inter fusores excellens *Fournierius* b) typos putat primum e mero plumbo vel stanno fusos esse; post huic metallo admixtum esse cuprum & antimonium. Typographicae artis cardinem idem *Fournier* c) quaerit in sculptis e chalybe archetypis, quo in negotio difficillimo positum esse dicit illud ipsum quod artificem constituit. Hinc a. 1471 *Bern. Cenninus* Florentiae Servium in Virgilium a se excusum monet *expressis ante chalybe characteribus & deinde fusis literis*. d) Sine his archetypis cum cudi nequeant matrices, hos ipsos archetypos tacite innuit Trithemius ubi dicit, Gutenbergium & Faustum invenisse modum *fundendi matrices*: has vero cum non *fundi* sed *cudi* constet; ubi matrices *fusas* dicit Trithemius, non respicit matrices proprie sic dictas, sed fusum ex orichalco modulum, cui induntur istae matrices cusae.

a) De Germaniae Miraculo, Lipsiae 1710. p. 12. ap. Wolf T. II. p. 721.
b) Orig. de l'Imprim. p. 64.
c) Ibid. p. 66.
d) Panzer Annal. Typogr. T. IV. p. 298.

Trithemius narrat, Gutenbergium & Fauftum e matricibus fudiffe aeneos five ftanneos characteres ad omnem preffuram fufficientes, *quos prius manibus fculpebant:* quibus verbis haud innuit fculptos e ligno mobiles typos, uti perperam interpretantur *Koehler e)* & *Schelhorn; f)* fiquidem non ligneos, fed ftanneos characteres prius fculpfiffe Gutenb. & Fauftum dicit Trithemius, videturque indicare, Gutenbergium & Fauftum, priusquam fufos invenerant typos, manu fculpfiffe metallicos, fed fine fructu; etenim addit, Gutenb. & Fauftum poft impreffum typis fixis Catholicon, ut fibi procurarent typos quibus plus uno libros excudere poffent, fufos e matricibus typos inveniffe, adeoque a tabellari Typographia fine medio ad eam quae fufis typis exercetur, transiiffe. Nativum hunc verborum Trithemii fenfum acute viderunt *Schoepflin g)* & *Fournier. h)* Gutenbergium metallicos typos manu fculpere tentaffe, aft parum felici fucceffu, fcribit *Bergellanus. i)* Trithemii verba: *quos prius* &c. *Tenzelius k)* interpretatur *ante preffuram.* i. e. fufos typos, priusquam imprimendis libris infervire poffent, cultro demum ad iuftam formam fuiffe exactos. Typorum fuforum fcapos cultro aliisque inftrumentis expolitos femper effe, purgatosque ab ea quae ex fufione remanfit inaequalitate, docet *Fournier. l)*

Matricum fuforumque ex iis typorum *inventionem* Gutenbergio & Faufto tribuit *Trithemius.* additque, Petrum Schoefferum *faciliorem modum fundendi characteres* excogitaffe. Haec Trithemius ex ipfius Schoefferi teftimonio refert. Contra vero, eundem Schoefferum ipfas inveniffe matrices fufosque typos, tradit fupra dictus *Anonymus auctor Relationis de Origine Typographiae.* qui turpi errore vel fraude Gutenbergii in invenienda arte partes Faufto, Faufti vero partes Gutenbergio tribuere non veritus eft; Anonymum hunc exfcripfit *Salmuth. m)* Matrices a Petro Schoeffero inventas

e) Ehrenrett. Gutenb. p. 20.
f) De antiquiff. Bibliorum latin. editione p. 24.
g) Vind. Typogr. p. 77.
h) Origine de l'Imprim. p. 77.
i) Verfu 103 - 112. ap. Wolf T. I. p. 19 fq.
k) Erfindung der Buchdruckerkunft p. 18. cf. Koehler p. 20.
l) Origine de l'Imprim. p. 64 fq.
m) ap. Wolf T. I. p. 468. & p. 703.

esse, narrat quoque *Bergellanus. n*) Maiorem vero fidem mereri edoctum a Schoeffero Trithemium, monuit *Tenzel. o*) *Schwarz p*) quoque opinatus est, Schoefferum aptiorem tantum materiam & faciliorem modum typorum e metallis mixtis fundendorum invenisse. Cel. quoque *Lambinet q*) existimat, Gutenbergium & Faustum circa a. 1450 invenisse modum fundendi e matricibus singulas alphabeti literas: Petrum vero Schoefferum a. 1452 excogitasse faciliorem modum componendi characteres, hisque mensuram formamque aptiorem exactioremque dedisse; insuper novas fabricasse matrices abecedarias aliaque instrumenta, quibus typographica ars ad altiorem perfectionis gradum est evecta. Schoefferum, non ipsos typos fusos, sed faciliorem tantum typorum fundendorum modum excogitasse, putat quoque Cel. *Daunou. r*)

Fusos typos iam a. 1450 Moguntiae fuisse inventos, satis indicare videtur *Coloniensis Chronici* a. 1499 impressi auctor, *s*) qui profitetur, typographicae artis initium & progressum sibi exposuisse *Ulricum Zell de Hanau*, qui hoc ipso adhuc anno 1499 typographiam exercuit Coloniae, cui etiam urbi eam artem intulerat a. 1467, immo uti videtur, iam ante hunc annum. Is enim Chronici auctor, ubi narravit, typographicam artem Moguntiae inventam circa annum 1440, *perfectam* esse anno 1450, primumque librum typis excusum *Biblia* fuisse *Latina*, charactere grandiori, quali tunc Missalia imprimi solebant, addit: *Wie wail die kunst is vonden tzo Mentz, als vursz* (vorgesagt) *up die wüse, als dan nu gemeynlich gebruicht wird; so is doch die eyrste vurbyldung vonden in Hollant uyss den Donaten, die daeselfsst vur der tziit gedruckt syn. Ind van ind uyss den is genommen dat begynne der vursz kunst. Ind is vill meysterlicher ind subtilicher vonden dan dieselve manier was, und ye lenger ye mere kunstlicher wurden.* Quae Latine sic sonant: *Quamvis autem ars reperta fuerit Moguntiae, uti diximus, eum ad modum qui hodie communiter usurpatur; prima tamen eius praefiguratio inventa est in*

n) Versu 127 sqq. ap. Wolf T. I. p. 21.
o) Erfindung der Buchdruckerkunst p. 42. ap. Wolf T. II. p. 668 sq.
p) De Orig. Typogr. P. III. p. 26 sq.
q) Recherches sur l'Orig. de l'Imprim. p. 124 & 126.
r) Analyse des opinions sur l'Origine de l'Imprim. Paris 1804.
s) ap. Wolf T. I. p. 409. & Meermann P. II. p. 105 sqq.

Hollandia e Donatis. qui ibi ante id tempus excusi sunt: atque ab illis & ex illis desumtum est dictae artis initium. At posterior haec inventio priori praestantior longe ac subtilior fuit, & in dies magis magisque excultior reddita est. E quibus colligas, iam anno 1450 coeptum esse typis fusis excudere libros.

Donatum, ante a. 1450 in Hollandia impressum, *fixis* typis excusum esse, docet *Mari-Angelus Accursius*. qui floruit circa a. 1533: Etenim *Rocha* Romae a. 1591 scripsit, *t*) Aldum Iuniorem sibi ostendisse *Donatum* in membranis impressum, in cuius priori pagina haec scripta leguntur: „*Io. Faust*... primus excogitavit im„primendi artem typis aereis, quos deinde plumbeos invenit; „multaque ad poliendam artem addidit eius filius Petrus Schoef„fer. Impressus autem est hic *Donatus* & *Confessionalia* primum om„nium anno 1450. Admonitus certe fuit ex *Donato Hollandiae*. „prius impresso *in tabula incisa*.“ Addit *Rocha*. a latere eadem manu scriptum legi: „Haec scripsit *Mariangelus Accursius*.“ *In tabula incisa* idem significare ac literis tabulae ligneae incisis, cum *Scriverio* & *Boxhornio u*) vident omnes. *Scriverius* dicit: „Donatus „extat *tabulis incisus ligneis*. quem Accursius & Chronici Colo„niensis auctor elogiis prosequuntur.“ Solus *Meermannus x*) pro suo ingenio fingit, tabulam incisam apud Accursium denotare *ligneas solutiles literas*.

Donatum cum subiunctis *Confessionalibus*. iisdem prorsus typis impressum, in Parisinae San-Genovevanae abbatiae bibliotheca, (quae nunc dicitur Bibl. *du Panthéon*) detexit *Mercierius*. *y*) qui docet, illa Confessionalia sic incipere: *Confessio generalis. brevis & utilis tam Confessori quam Confitenti.* Utrumque libellum, uno volumine compactum, in eadem Bibliotheca inspexit descripsitque *Heineckenius*. *z*) qui monet, illorum unumquemque constare 24 paginis, literas esse perquam inaequales, & colore quibusdam in locis, ubi preli vim haud sustinuerunt, adeo pallido, ut quandoque

t) in Append. ad biblioth. Vaticanam, p. 410. ap. Wolf T. I. p. 299.
u) ap. Wolf T. I. p. 406 & p. 851.
x) Orig. typ. T. I. p. 61.
y) Suppl. à Marchand p. 3.
z) Neue Nachr. p. 221-224.

nullum earum vestigium compareat: unde Mercierius horum libellorum typos e ligno singulatim sculptos putavit; quos tamen pro fusis habet ipse Heinecken, qui docet, illos libellos uno volumine compactos esse cum *Nidero* de lepra morali, Parisiis per Ulr. Gering a. 1479 excuso.

Biblia Latina a. 1450 imprimi coepta, dicit Coloniense Chronicon; ast eodem anno consummata esse haud dicit. De Gutenbergio & Fausto narrat *Trithemius:* „Impressuri *Bibliam*, priusquam „tertium complessent in opere quaternionem, plusquam 4000 „florenorum exposuerunt; *Petrus* autem *Opilio* faciliorem mo„dum fundendi characteres excogitavit.“ Id anno 1452 contigisse, *Schoepflino a*) videtur ex verbis *Io. Schoefferi* narrantis: „Io. Fust „a. 1452 artem deduxit in opus imprimendi, opera tamen ac „multis necessariis adinventionibus *Petri Schoefferi.*“ Iam vero si quam memorat Trithemius, nata in excudendis Bibliis difficultas, eorundem consummationem retardavit, donec faciliorem typos fundendi modum invenit Schoefferus; porro si primi illi tres Bibliorum quaterniones, rudioribus quippe Gutenbergii typis excusi, haud iungi potuerunt reliquis, qui perfectioribus Schoefferi typis erant imprimendi; his ipsis Schoefferi typis recudendi fuerunt tres illi quaterniones, ut integrum Bibliorum opus uno eodemque habitu prodiret.

Antequam consummaret haec Biblia Gutenbergius, litem ei movit Faustus, pronuntiataque a. 1455 Iudicum sententia, Gutenbergius exhaustis per plurium annorum tentamina facultatibus, aeri quod a Fausto acceperat, solvendo iam impar, typographicam omnem supellectilem, Fausto oppigneratam, eidem tradere coactus fuisse videtur: qui memoratum Bibliorum opus, adiutore Petro Schoeffero, a. 1456 ad finem perduxit. Sine ullo artificis, anni & loci indicio in lucem prodierunt haec Biblia, quoniam haud ausus est Faustus, excusum pro potiori parte a Gutenbergio opus, tituloque minus iusto eidem extortum, sibi adscribere, uti sibi ac Schoeffero adscripsit Psalterium a. 1457.

De his Bibliis mox plura. Ante illa Biblia a. 1456 absoluta, du-

a) Vind. Typogr. p. 33.

rante Gutenbergii cum Fausto societate, impressae sunt anno 1454 *Literae Indulgentiarum Nicolai V. Papae*, quas concessit „omnibus qui *infra triennium a prima die Maii anni 1452 in-* „*cipiendum* pro defensione regni Cypri contra Turcas de facul- „tatibus suis aliquid erogaverint." Hae igitur Nicolai V Indulgentiarum Literae ultra calendas Maias 1455 haud amplius erant valiturae, unde illas ante hunc temporis terminum impressas fuisse oportet, quo nondum elapso e vivis excesserat *Nicolaus V.* d. 24 Martii eiusdem anni 1455. Harum Indulgentiarum exemplum in membrana, anno 1454 signatum, edidit *Schelhorn* anno 1763. *b*) Aliud eiusdem anni locupletius, a *Gebhardo* detectum edidit *Haeberlin. c*) Authenticas esse has Indulgentiarum literas, firmissimis testimoniis adstruxit Gebhardus apud Haeberlinum. *Meermannus*, cui suum exemplum donaverat Schelhornius, data anno 1766 ad Mercierium epistola *d*) declaravit, has Indulgentiarum literas impressas tam sibi quam aliis viris doctis agnosci genuinas, *fusisque typis* excusas; ex iisdem patere dicit, artem fundendi typos cognitam iam fuisse durante Gutenbergii cum Fausto ab anno 1450 usque in a. 1455. societate. Sic ipse *Meermann* retractat ea quae praecedente anno 1765 in Origin. Typogr. *e*) secundum *Fournierium f*) & *Schelhornium g*) scripserat, scilicet Schoepflinum fusilium typorum epocham minus recte intra annos 1452 & 1455 collocare. *Schelhorn*, inspectis illis Indulgentiarum Literis, mox Schoepflino assensus est a. 1763. *h*)

Igitur ante a. 1455 completa est ars typographica Moguntiae: „Habitabant, scribit *Trithemius*, *i*) primi tres artis impressoriae „inventores *Io. Gutenberger*. *Io. Fust* & *Petrus Opilio*, gener eius, „in domo *zum Iungen* (i. e. ad Iuniorem) dicta, quae deinceps „usque in praesens *Impressoria* vocata est." Rupta autem cum Fausto societate a. 1455, Gutenbergius novam sibi paravit offici-

b) Ergoetzlichkeiten aus der Kirchengesch. B. II. p. 372. Ulm 1763.
c) in Analectis medii Aevi. Norib. & Lips. 1764. p. 565 sqq.
d) Vid. Mercier Supplem. à Marchand p. 17. Heinecken Neue Nachr. p. 238.
e) P. I. p. 186.
f) Origine de l'Imprim. p. 60 & 236.
g) in Diatr. Praelim. ad Quirinum p. 17.
h) Ergoetzlichk. B. II. p. 373.
i) in Annal. Hirsaug. ad a. 1450.

nam, & quidem, uti videtur, in aedibus *Zum guten Berg*. quae post in Iurisconsultorum Collegium conversae sunt, *k*) ubi, teste Serrario, *l*) anno adhuc 1604 sequens exstabat monumentum: *Io. Gutenbergensi Moguntino. qui primus omnium literas aere imprimendas invenit. hac arte toto orbi bene merenti Ivo Wittigisis hoc saxum pro monimento posuit MDVII. m*) Tricennali bello destructam esse hanc domum, monet Clar. *Dürr. n*)

BIBLIA MOGUNTINA A. 1456 RUBRICATA.

PRIMA illa Biblia quae grandioribus vel missalibus typis impressa esse dicit *Coloniense Chronicon*. si excusa essent typis aeque grandibus ac typi Psalterii 1457, duodecim minimum volumina, *Fournierio o*) iudice, explessent; unde illa Biblia missali charactere minori exarata videntur, ad normam forsan earum literarum quas in MS. Bibliis, in Moguntinae cathedralis bibliotheca asservatis, vidit *Heinecken*, *p*) quasque literas propius accedere dicit ad typos Psalterii 1457, grandioresque esse typis Bibliorum Fausti a. 1462. Extant certe Biblia missalibus typis minoribus excusa, quae eximiae elegantiae opus vocat *Heinecken. q*) quorumque exemplum, a. 1456 Moguntiae rubricatum, ibidem a. 1788. penes Rev. *Güntherum*. archiep. seminarii Subregentem, vidit Cel. *Zapf: r*) ad horum quippe Bibliorum calcem coaeva manu scriptum legitur: *Iste liber illuminatus. ligatus & completus est per henricum Cremer vicarium ecclesie collegiate sancti Stephani Maguntini sub anno dni Millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto* &c. Similis fere nota, sed brevior, subscripta est primo horum Bibliorum volumini. Utramque

k) Docum. citatum a Dürrio ap. Heinecken Neue Nachr. p. 242.
l) Rer. Mogunt. L. I. c. 37. in Wolf Mon. Typ. T. I. p. 269.
m) Perperam pro vero Gutenbergii epitaphio habitum est id, quod in eius memoriam composuit Ad. Gelthaus. Heineck. Nachr. T. I. p. 299.
n) ap. Heinecken Neue Nachr. p. 242.
o) Origine de l'Imprim. p. 199.
p) Neue Nachr. p. 236.
q) Idée p. 261.
r) Aelteste Buchdruckergesch. von Mainz p. 127.

subscriptionem recitat Cel. *Fischer. s*) monetque, hoc ipsum Bibliorum exemplum chartaceum, valde mutilum, a. 1792 in Parisinam biblioth. caesaream transiisse, cui etiam a. 1788. illatum fuit aliud eorundem Bibliorum exemplum membranaceum ac integrum, in duo olim volumina, nunc in quatuor compactum. Typorum specimen exhibet idem *Fischer. t*) Reliqua quae noscuntur horum Bibliorum exempla sunt: 1.° *Berolinense* regium, membranaceum nitidissimumque, descriptum in *Berlinische Bibliothek* a. 1747 *u*) & a *Clemente. x*) 2.° *Mazarinici* Collegii chartaceum, aliquot foliis truncatum, quod descripsit Debure a. 1763. *y*) 3.° *Benedictinorum in monte S. Iacobi* Moguntiae membranaceum, Meermanno *z*) 1765 memoratum. 4.° *San-Blasianum* in Silva nigra membranaceum, in tria voll. compactum, a *Gerberto* illius monasterii abbate a. 1773 descriptum, *a*) qui typorum quoque specimen exhibet. 5.° *Girardotinum* membranaceum ab Heineckenio a. 1786 descriptum. *b*) 6.° *Lipsiensis* biblioth. academicae, Heineckenio visum. *c*) 7.° *Francofurtanum ad S. Leonhardum.* chartaceum, a Rev. Husnagelio a. 1804. curate descriptum. *d*)

Missales horum Bibliorum typi minores quidem sunt typis Psalterii a. 1457 & 1459, sed paris pulchritudinis, impressique eodem prorsus atramento perquam nigro nitenteque, uti observat *Debure. e*) Bibliorum typis plane conformes sunt typi *Donati* in membranis excusi cum pulcherrimis capitalibus Psalterii 1457 & 1459; cuius Donati tria folia detexit Cel. *Fischer. f*) ultimum vero Cel. *Wyttenbach. g*) in quo typis excusum legitur: *Explicit*

s) Essai sur les monum. Typogr. de Gutenberg. p. 75 sqq.
t) in Typogr. Seltenheiten III. Lief. Tab. I.
u) Pag. 278 sqq.
x) Bibliothèque curieuse T. IV. p. 65 & 76.
y) Bibliographie, Theologie n. XXV.
z) Orig. Typogr. P. I. p. 151.
a) in Itinere Alemannico p. 165 sqq. & p. 353.
b) Neue Nachr. p. 231 sq.
c) Idée p. 261.
d) in Etwas zu Masch. Biblioth. S. in Loeffler Magazin für Prediger, Iena 1804. I. B. 2. St. p. 23-44.
e) Bibliographie, Theol. p. 36.
f) Typogr. Seltenh. I. Lief. p. 53. & III. Lief. p. 23 sq.
g) Ibid. VI. Lief. p. 9 & 11.

Donatus arte imprimendi seu characterizandi per Petrum de Gernsheim in urbe Moguntina cum suis capitalibus absque calami exaratione effigiatus. Hic cum haud nominetur Faustus, qui obiit a. 1466, Donatus iste post Fausti obitum a Schoeffero recusus videtur typis Bibliorum a. 1456 & cum capitalibus Psalterii anni 1457, quemadmodum idem Psalterium iisdem prorsus typis Schoefferus bis recudit annis 1490 & 1502; minime vero credas, praestantissimos illos Donati missales typos literasque capitales huic Donato excudendo primitus fuisse destinatos, Bibliaque iisdem typis impressa post Donatum demum annumque 1466 esse excusa. Quatuor illa Donati folia in Parisinam biblioth. caesaream transferri curarunt eorundem detectores. g) Typorum tam Bibliorum quam Donati, huiusque Capitalium specimen dedit idem *Fischer. h*)

Singulae Bibliorum paginae in duas divisae sunt columnas, quarum utraque 42 lineas gerit; tamen primae decem paginae duplici diversitate a reliquis omnibus distinguuntur: 1.° Primarum novem paginarum columnae 40 tantum lineas, decimae vero paginae columnae 41 lineas habent. 2.° Quae occurrunt in illis decem paginis Rubricae, typis sunt excusae; in ceteris omnibus paginis calamo exaratae sunt. Has diversitates non in Girardotino, sed in Mazarinico exemplo deprehendit *Heinecken; i*) unde primas illas decem paginas diversae a reliquis editionis esse existimavit. Tamen memoratae diversitates deprehenduntur quoque in utroque *Parisino* caesareo, membranaceo *k*) aeque ac chartaceo, *l*) in *Berolinensi,* *) *Moguntino, m*) *San-Blasiano n*) & *Francofurtano o*) exemplis. In *Lipsiensi* exemplo quomodo haec se habeant, nusquam reperi.

Hoc Bibliorum opus, quamvis elegantissimum, non eadem pror-

g) Ibid. p. 11.
h) in Typogr. Seltenh. III. Lief. Tab. I. & Essai sur Gutenberg p. 74.
i) Heinecken Neue Nachr. p. 231 & 233.
k) Fischer Essai sur Gutenb. p. 75.
l) Zapf Buchdruckergesch. von Mainz p. 128.
*) Berlin. Bibl. 1747. p. 278.
m) Meermann Orig. Typ. P. I. p. 151. & Fréron Année Litter. 1764. T. I. p. 190.
n) Gerberti Iter Alemannicum p. 165 sqq.
o) Hufnagel l. c. p. 27. & 30 sq.

sus arte perfectum est, qua posterior Moguntina editio a. 1462: lineae modo longiores, modo breviores sunt, nec exacte iunguntur dextrae margini columnae. *p*) Inter scribendi compendia, abbreviaturas vocant, quibus, uti reliqui antiquissimi libri impressi, haec Biblia scatent, singularis plane est *tricuspidis* figura, quae, cum adiuncto *a.* vocem *tempora* denotat. *q*) Quae cum aliis vetustissimis editionibus communia habent haec Biblia, haec fere sunt: Carent singulari titulo, numeralibus foliorum Cifris, plagularum Signaturis, & paginarum Custodibus; Initiales librorum capitumque literae non sunt impressae, sed a miniatore appictae; Diphthongi prorsus exulant; Nominum propriorum initiales literae, nisi a principio periodorum, ceteris haud sunt maiores; saepissime duae literae uno in typo sunt connexae; literae *i.* puncti rotundi loco, circellus dimidiatus insidet. In Psalmis singularum versuum initiales literae non sunt impressae, sed manu appictae, alternantibus caeruleo & rubro coloribus, ut legentium oculos magis feriant: idem plane occurrit non tantum in Bibliis Moguntinis a. 1462 & 1472, sed etiam in Schelhornianis, missali charactere maiori ab Alb. Pfistero Bambergae, uti putant, excusis, pariter ac in Argentinensibus a Mentelio & Eggesteinio impressis, & in Bibliis 47 linearum in col. Basileae, uti videtur, a Bertholdo exaratis.

Integrum opus constat 641 foliis, *r*) non 637, uti cum *Maschio s*) erravit *Panzer*, *t*) qui error ex incompleto Mazarinico exemplo natus videtur. Biblia haec fusis typis, iisque perfectioribus excusa esse, asserit ipse *Fournier.* *u*)

Biblia Latina missalibus literis impressa, ultimis quibusdam foliis temere abscissis, in Moguntina Carthusia a. 1728 se vidisse testatur *Schwarz*; *x*) additque, in vetusto illius bibliothecae Catalogo

p) Fischer typogr. Seltenh. III. Lief. p. 22.
q) Hufnagel l. c. p. 35.
r) Heinecken Neue Nachr. p. 231.
s) Biblioth. Sacra Vol. III. p. 67 sq.
t) Annal. Typogr. T. II. p. 137.
u) in Fréron Année Litter. 1764. T. I. p. 183. & 189.
x) De Orig. Typogr. P. II. p. 4.

MS. annotatum ſe legiſſe, Biblia iſta monaſterio donata eſſe a Io. Gutenbergio aliisque quibusdam, quorum nomina ipſi exciderint. Biblia haec aeque ac memoratum Catalogum in illius Carthuſiae bibliotheca alii poſt fruſtra quaeſiverunt; tamen ibi repertus eſt libellus *De Celebratione Miſſarum*. cui miniatoris manus adiecit: *y*) *Carthuſia prope Moguntiam poſſidet ex libera donatione Ioannis dicti a bono monte opuſculum mira ſua arte sc. c. Iohannis Nummeiſter clerici confectum Anno dn̄ M° CCCC° LXIII. kal. Iul. — Emilianus de Orſinis Fulginas & Iohannes Numeiſter theutonicus eiusque ſocii inpreſſerunt Fulginei in domo eiusdem Emiliani a. 1470* Leon. Aretinum de bello Italico adv. Gothos. Iidem Emilianus & Numeiſter excuderunt ſine anno Ciceronis Epiſt. ad Fam. *ducentis voluminibus*. Solus *Io. Numeiſter clericus Moguntinus* impreſſit a. 1479 Io. de Turrecremata Contemplationes, charactere grandiori, qualem refert Pſalterium Moguntinum 1447. *z*) Biblia illa a Gutenbergio Moguntinae Carthuſiae donata, haud ea eſſe videntur quae Gutenbergio extorſit, conſummavitque Fauſtus, ſed ea forſan quae Bambergae ab Alb. Pfiſtero excuſa eſſe alii putant; de quibus Bibliis inferius.

GUTENBERGII ET FAUSTI OFFICINAE SEPARATAE.

Io. Gutenberg, ubi a. 1455 typographicam ſuam ſupellectilem Fauſto oppigneratam eidem tradere coactus fuit, novam ſibi comparavit: quod quidem clariſſime patet e ſupra citato Documento a. 1459, quo Moguntino S. Clarae monaſterio donaturum ſe ſpondet Gutenbergius libros a ſe iam impreſſos vel in poſterum imprimendos. Novam hanc officinam Gutenbergius inſtruxit ſumptibus *Conr. Humbrechti*, Syndici Moguntini; *) ſiquidem, poſt Gutenbergii obitum, illius typi & inſtrumenta typographica, iuſſu Adolphi archiepiſcopi, eidem Humbrechto ſunt tradita tanquam ipſi antea & nunc propria, teſte eiusdem Humbrechti Charta a.

y) Fiſcher Eſſai ſur Gutenberg p. 81. & Typogr. Seltenh. IV. Lief. p. 19.
z) Panzer T. I. p. 438 ſq.
*) Schwarz de Orig. Typogr. P. I. p. 27. Koehler p. 102.

1468 Februario exeunte ſignata, *a*) qua ſpondet, ſe illis inſtrumentis nusquam alibi quam Moguntiae libros fore impreſſurum, vel ſi vendere illa inſtrumenta ſibi placuerit, Moguntinum civem ſe praelaturum alieno, idem pretium offerenti.

Duas fuiſſe a. 1458 Moguntiae officinas typographicas, Gutenbergii alteram, Fauſti alteram, teſtatur quoque a. 1474 *Io. Phil. de Lignamine*, Sixti IV Papae familiaris, qui ipſe typographus, *Ricobaldi* Chronicon continuavit, impreſſitque Romae anno 1474, ubi ad A. 1458 narrat: *b*) „*Iacobus* cognomento *Cutenbergo*, patria „Argentinus, & quidam alter cui nomen *Fuſtus*, imprimendarum literarum in membranis cum *metallicis formis* periti, *trecentas chartas quisque eorum* per diem facere innoteſcunt apud Moguntiam &c.“ In Gutenbergii praenomine tantum & patria erraſſe Italum auctorem, typographicae artis peritiſſimum, facile ignoscas.

PSALTERIUM FAUSTI A. 1457.

E Fausti officina a. 1457 prodiit primus cum indicio artificis, anni & loci impreſſus liber, ſplendidiſſimum illud *PSALTERIUM* ſive Miſſale, in folio mai. in membranis impreſſum, quod *Fournierius c*) abſolutiſſimum vocat artis opus, eo fulgens perfectionis gradu, quem attingere haud potuit ullus vel ſuperioris vel noſtrae aetatis typographus. Hoc Pſalterium, *Heineckenio* *) quoque iudice, omnes poſt impreſſos libros pulchritudine ſuperat. Finalis eiusdem nota, typis miniatis excuſa, haec eſt: *Preſens Spalmorum* (ſic) *codex venuſtate capitalium decoratus Rubricationibusque ſufficienter diſtinctus. Adinventione artificioſa imprimendi ac caracterizandi absque calami ulla exaratione ſic effigiatus. Et ad euſebiam dei induſtrie eſt conſummatus. Per Iohannem Fuſt. Civem ma-*

a) ap. Ioannis Script. rer. Mogunt. T. III. p. 424. Schwarz l. c. p. 26.
b) in Muratorii Script. rer. Ital. T. IX. col. 270. Meermann P. II. p. 117. De auctore vid. Fabricii Biblioth. Lat. mediae & inf. aetatis L. XI.
c) Origine de l'Imprim. p. 232 ſq.
*) Neue Nachr. p. 235.

guntinum. Et Petrum Schoffer de Gernszheim. Anno dñi Millesimo. CCCC. LVII. In vigilia Assumptionis.

Hoc Psalterium continet Psalmos Davidicos XXIII, Ambrosiano aliisque hymnis intermixtos, cum suis antiphonis & responsoriis usque in folium 136; subiunguntur aliae adhuc preces ac hymni, in diversis huius Psalterii exemplis numero vel plures vel pauciores, pro diverso ritu diversarum ecclesiarum, in quarum usum excusa sunt illa exempla. Horum nitidissimum *Vindobonense caesareum*, adeo purum mundumque ac si e prelo recens prodiret, constat 175 foliis. Sex tantum hucusque innotuerunt huius Psalterii exempla, quorum quinque tunc cognita a. 1771 curate descripsit *Heinecken. d*)

Hoc igitur Psalterium in usum canentis in Choro cleri impressum est, grandioribus typis, apud Germanos *Fractur-Schrift* dictis, iisdem quibus Missalia ante & post inventam Typographiam, exscissis patronis, manu exarata sunt, literis invicem adeo similibus, ut impressorum librorum speciem haec Missalia praebeant. Singulae Psalterii paginae 20 tantum lineas gerunt. Psalmorum typi grandiores sunt Hymnorum typis: perpulcra omnes nigredine nitent. *Capitales literae* 288 sunt numero, *e*) variis investitae ductibus ornamentisque, subtili adeo arte ligno incisae, ut in sui admirationem peritissimos rapiant artifices: harum capitalium grandiores, Psalmorum initiales, tres pollices altae, quatuor latae, singulae caeruleo, rubro & purpureo coloribus mira arte decoratae sunt, idque ternis sub prelo vicibus, quod pari solertia imitari posse ullum nostrae aetatis Typographum, dubitat *Fournier. f*) Capitalium maximam, pulcherrimamque, primi Psalmi initialem *B*, floribus animalibusque decoratam, exhibet *Heinecken.* *) Summae artis hoc opus rupta demum Gutenbergii cum Fausto societate inchoatum esse, adeoque octodecim mensium spatio absolvi po-

d) Idée p. 264-279.
e) De Boze dans Memoires de l'Acad. des Inscr. & Belles-Lettres T. XIV. p. 254 sq.
f) Orig. de l'art de graver en bois p. 42.
*) Nachr. T. II. p. 27. & Idee p. 265.

tuisse, vix credas: unde cum *Schoepflino g*) suspicatur *Meermann. h*) durante illa societate coeptum iam fuisse hoc Psalterium, quod ab ipsis *consummatum* esse, profitentur Faust & Schoeffer, primos se artis inventores iactare non ausi.

Diu delituerunt huius Psalterii exempla: primum, mutilum quidem valde & maculatum, in *Freybergensis* in Misnia scholae bibliotheca a. 1653 excitavit *Moller. i*) *Vindobonense* exemplum pulcherrimum in Ambrasiae prope Oenipontem arcis bibliotheca a. 1665 repertum, transscripta tantum eius finali nota indicavit *Lambecius.* *) *Parisinum* nunc *caesareum* exemplum Moguntiae ad S. Victorem in cista circa a. 1740 detectum mox obtinuit uberiusque descripsit *De Boze. k*) Quod *Goettingensis* Univ. bibliotheca nunc asservat exemplum, ab Hildesiensibus S. Ursulae monialibus antea impetraverat Clar. *Duve* Hanoverae. *l*) *Londinense* nunc exemplum, in Abbatia Roth ad Memmingensis agri fines, a *Schelhornio* circa a. 1768 detectum descriptumque, *m*) emisse a. 1798 Angliae regem 3000 florenorum pretio, refert Celeb. *De Murr.* *) *Moguntinum*. quod primariae aedis choro inserviit, a. 1787 excitavit Rev. *Würdtwein. n*)

Secunda huius *Psalterii editio a. 1459* excusa est iisdem typis & capitalibus, longioribus tamen lineis, iisque 23 in pagina; unde 163 tantum foliis constat. Finalis nota eadem fere est ac in prima editione; *Spalmorum* vitium typographicum correctum est; Schoeffer iam vocatur *Clericus:* in aliis exemplis additur: *ad honorem S. Iacobi*. cuius monti extra moenia Moguntina insedit Benedictinorum abbatia; in alio exemplo: *ad honorem S. Albani:* in

g) in Mémoires de l'Acad. des Inscr. & Belles-Lettres T. XVII. p. 772.
h) Orig. Typ. P. I. p. 153.
i) in Theatro Freybergensi, Freyb. 1653. P. I. p. 129.
*) in Biblioth. Vindobon. 1665. L. II. p. 989. Marchand Hist. de l'Imprim. P. II. p. 109.
k) in Mémoires de l'Acad. des Inscr. & Belles-Lettres T. XIV. p. 254 sqq.
l) De Murr Merkwürdigk. Bambergs p. 274. Heinecken Idée p. 271.
m) in Riederer Abhandl. aus der Kirchengesch. &c. Altdorf. 1768. I. Th.
*) l. c. p. 275.
n) Bibliotheca Moguntina, Augustae Vind. 1787. p. 58.

alio: *ad honorem S. Victoris. o*) Haec satis ostendunt, horum Monasteriorum iussu sumptibusque Psalterium hoc esse excusum, quod de prima quoque Psalterii editione dicendum est, quae pro diverso diversarum ecclesiarum ritu diversos hymnos vel preces, easque modo plures, modo pauciores exhibet. Unde patet, idem Psalterium haud fuisse illud opus, quod ut perficeret, tantum aeris alieni contraxit Gutenbergius, ut eidem dissolvendo impar esset; nec cum *Heineckenio p*) & *Sprengero q*) suspicari licet, Trithemium & Coloniense Chronicon sub nomine Bibliorum, quae *missali* charactere excuderunt Gutenberg ac Faust, indigitare Psalterium a. 1457. *Tertiam* huius *Psalterii editionem*, ad normam primae anni 1457, excudit Petrus Schoeffer a. 1490 iisdem typis, sed usu detritis; *r*) quin etiam *quartam* a. 1502. *s*)

Eodem anno 1459 *Faust* impressit *DURANDI RATIONALE divinorum Officiorum*, Sec. XIII conscriptum, quod ecclesiasticorum rituum rationes & significationes exponit. Excusum est in folio maiori, foliis 162 membranaceis. Occurrunt in eo quinque Capitales, eaedem quae in Psalterio, mira arte ligno incisae, partim rubro partim caeruleo colore impressae, non penicillo aut calamo pictae: *t*) in quibusdam tamen exemplis hae ipsae Capitales non sunt impressae, sed calamo exaratae. Typi semigothici, minuti, literas calamo scriptas imitantur, acceduntque ad eum characterem qui *Italicus*, Germanis *Schwabacher* dicitur. Conformes esse hos Rationalis typos literis MS. codicis in Moguntinae primariae aedis bibliotheca extantis, obsetvavit Heinecken. *u*) Tituli librorum & capitum, pariter ac plurimae capitum initiales literae rubro colore impressae sunt. Finalis nota, eadem fere ac in Psalterio 1457 & 1459, haec est: *Presens racionalis divinorum codex officiorum, venustate capitalium decoratus, rubricationibusque di-*

o) Panzer Annales Typogr. T. II. p. 112. ex Gerken Reisen B. III. p. 53.
p) Neue Nachr. p. 234.
q) Buchdruckergesch. von Bamberg. Nürnb. 1800. p. 6.
r) Ekhard Seltenh. der Biblioth. zu Eisenach p. 101 sqq. Zapf p. 101 sqq.
s) Panzer T. VII. p. 406.
t) Schwarz P. II. p. 10. Heinecken Idée p. 275.
u) Neue Nachrichten p. 236.

ſtinctus, artificioſa adinventione imprimendi ac caracterizandi &c. Fuſis typis excuſum eſſe hoc Rationale, conſentiunt omnes.

CATHOLICON A. 1460.

Anno 1460 e *Gutenbergii* prelo Moguntiae, ſine indicio artificis, prodiit *CATHOLICON* i. e. Lexicon Latinum cum Grammatica, quod opus a. 1286 abſolvit *Io. de Balbis. Ianuenſis* i. e. Genuenſis, Dominicanus monachus. *x*) Prima haec Catholici editio conſtat 373 foliis in folio max. Exempla alia in membrana, alia in charta excuſa ſunt. Typi, obſervante *Fournierio*, *y*) eiusdem menſurae ſunt cum typis Rationalis a. 1459, aſt graciliores, rudiusque formati. Diverſos eſſe hos typos ab omnibus Fauſti & Schoefferi typis, viderunt *Schwarz*, *z*) *Meermann*, *a*) *Panzer*, *b*) & *Fiſcher*, *c*) cui tandem quoque ſuffragatus eſt *Zapf*. *d*) qui cum quatuor viris antedictis hoc Catholicon Gutenbergio adſcribit: idem ſentit *La Serna*. *e*) Iisdem quibus Catholicon typis excuſa eſt utraque *Vocabularii latino-teutonici* editio, quam in *Altavilla* vel *Eltvilla*, (*Elfeld*) Moguntinorum tunc Praeſulum ſede, anno 1467 d. 4. Nov. & a. 1469 conſummavit *Nic. Bechtermünze*, *f*) cognatus Gutenbergii, *g*) qui a. 1468 Februario exeunte haud amplius fuit in vivis, cuiusque demortui typographicam ſupellectilem ab *Humbrechta* redemiſſe videtur hic Bechtermünze: unde colligas, Gutenbergium aut iam ante Novembrem 1467 e vita exceſſiſſe, aut

x) de Catholico vid. Schlegel Bibl. Heilbrunn. Prolus. I. p. 3. 1772.
y) Origine de l'Imprim. p. 236.
z) De Orig. Typ. P. II. p. 13.
a) Orig. Typogr. P. II. p. 96.
b) Annal. Typograph. T. II. p. 113 ſq.
c) Eſſai ſur Gutenberg p. 84 ſqq. & Typogr. Seltenh. I. Lief. p. 60 ſqq. & IV. Lief. p. 30.
d) in Dedicat. diatr. *Ueber eine Ausgabe des Turrecremata über den Pſalter*, Nürnb. 1803.
e) Dictionn. Bibliograph. T. I. p. 91 & 155.
f) Fiſcher typogr. Seltenh. I. Lief. p. 60 ſqq. III. Lief. Tab. I. & IV. Lief. p. 30.
g) Ibid. V. Lief. p. 101.

Bechtermünzio concessisse, ut suum nomen isti Vocabulario a. 1467 adiiceret: cui forsan Bechtermünzio Gutenbergius ipsum officinae suae moderamen commisit, ubi ipse a. 1465 inter Adolphi Moguntini praesulis Aulicos cum annuo stipendio adscitus est. *h*) Catholici huius finalis nota, *nigro* colore impressa, toto coelo differt a Fausti & Schoefferi finalibus *rubro* semper colore impressis, quibusque sua semper nomina addunt. Catholici vero impressor, nomen suum reticet, & quamvis inventorem se artis esse satis innuat ubi dicit, Deum *parvulis revelare quod sapientibus celat;* tamen omnem huius inventionis gloriam gratuito Dei dono adscribit, & si qua inde humano ingenio debeatur laus, hanc non suo nomini, quod prorsus tacet, sed Moguntinae civitati nationis Germanicae tribuit. Tantam vero modestiam nusquam testatur Faustus.

Catholici finale, a Faustianis omnibus diversissimum, sic incipit: „Immensas omnipotenti Deo patri & filio & spiritui san-„cto graciarum referimus actiones" &c. Tandem sic claudit: „Al-„tissimi presidio cuius nutu infantium lingue fiunt diserte, qui-„que numero sepe *parvulis revelat quod sapientibus celat.* Hic li-„ber egregius *Catholicon* dominice incarnacionis annis M. CCCC. „LX. *alma in urbe maguntina nacionis inclite germanice, quam Dei* „*clementia tam alto ingenii lumine donoque gratuito ceteris terrarum* „*nacionibus preferre illustrareque dignatus est.* (sic) non calami, „stili aut penne suffragio, sed mira *patronarum formarumque con-*„*cordia. proporcione ac modulo* impressus atque confectus est.

„*Hinc tibi sancte pater nato cum flamine sacro*
„*Laus & honor Domino trino tribuatur & uno.*
„*Ecclesie laude libro hoc catholice plaude* &c.

Ipsi hi versus leguntur quoque in finali *Vocabularii* a. 1467 & 1469 a Bechtermünzio impressi. *i*) Fusis typis excusum esse hoc Catholicon indicant verba: *mira patronarum formarumque concordia. Patronas* enim insculptos chalybi archetypos, *formas* vero

h) Charta Archiepiscopi ap. Ioannis Script. rer. Mogunt. T. III. p. 424. & ap. Koehler p. 100.

i) Fischer typogr. Seltenh. I. Lief. p. 62. III. Lief. p. 89 sq. Meermann P. II. p. 96.

matrices denotare, fatis patet. *k*) Haec autem verba: *patronarum formarumque concordia* praeterea nusquam quam in eo finali occurrunt, quod legitur in *Franc. de Retza Comestorio vitiorum* a. 1470 *Norimbergae* impresso, & quidem, uti iam patet, ab *Io. Sensenschmidio* & *Henr. Kefero*, Moguntino, *l*) *Gutenbergii discipulo. m*) Iisdem quibus Catholicon typis impressi sunt duo libelli sine anno, loco & typogr. scil. *Matthaei de Chrocove*, Pomerani, *De Celebratione Missae*, foll. 22. quem *Io. Numeisteri* opera excusum, *Io. Gutenbergius* Moguntinae Carthusiae donavit; (vid. supra p. 32.) & *Thomae Aquinatis* de Articulis Fidei libellus, foll. 12. *n*)

FAUSTI OFFICINA.

EODEM anno 1460 excusa est *CONSTITUTIONUM CLEMENTIS V.* editio originalis, in folio mai., cuius finale diversissimum est a Gutenbergiano finali in Catholico, idem vero est ac finale Psalterii & Rationalis anni 1459, demtis his: *venustate capitalium decoratus;* pulcherrimas enim illas capitales ligno insculptas in nullo, post Psalterium & Rationale, libro adhibuit Faustus. Clementinarum exempla alia in membrana, alia in charta sunt. Glossarum typi iidem sunt cum typis *Rationalis* a. 1459, sed textus typi grandiores sunt, conveniuntque cum typis *Bibliorum* a. 1462. Rubricae ac quaedam initiales rubro colore impressae sunt.

Anno 1462 prodierunt *BIBLIA LATINA*, prima cum indicio anni, loci & typographi, II. Voll. in folio mai. Exemplorum maior numerus in membrana impressus est. Finale, a Gutenbergiano Catholici diversissimum, idem est ac in Clementinis anni 1460; in quibusdam tamen exemplis omissa sunt verba: *Artificiosa adinventione imprimendi seu characterizandi, absque calami*

k) Schwarz P. I. p. 32. Schoepflin Vind. p. 64. Fournier Orig. de l'Imprim. p. 239 sq. Denis Merkwürdigk. der Garellischen Biblioth. p. 35 sq.
l) Panzer aelteste Buchdruckergesch. Nürnbergs 1789. p. 2 & praefat. p. 2. Braun Notitia P. II. praef. pag. VII.
m) Instrum. Helmaspergeri 1455. ap. Wolf T. I. p. 474. Schwarz P. I. p. 7.
n) Fischer typogr. Seltenh. III. Lief. p. 79 & 82.

exaratione fic effigiatus. Praeter hanc in finali diverfitatem, alias adhuc inter diverfa haec Bibliorum exempla differentias animadvertit Rev. *Seemiller, o*) quae ipfi ac *Panzero p*) diverfam editionem prodere videntur. Aft cum haec omnia exempla unum idemque gerant Datum: *A. 1462 in vigilia Affumptionis Mariae.* diverfitates illae ex eo natae videntur, quod, dum fudabat fub prelo opus, ubi iam excufa fuerant plura eiusdem folii exempla, in ceteris quaedam mutavit correxitque Revifor, quem corrigendi morem illo aevo obtinuiffe monet *Heinecken. q*) Biblia haec, *Fournier r*) dicit, artificibus videri admirabile opus, typis peritiffime fabricatis ad amuffim excufum. Typi fufi, femigothici, Fauftianae officinae, *Fifchero s*) indice, pulcherrimi funt. Paginae in duas divifae columnas, quarum quaevis integra lineas 48 continet. Librorum tituli & epilogi, qui inchoant per *Incipit* & *Explicit*, funt impreffi, idque miniatis typis. Haud vero impreffae funt initiales librorum capitumque literae, nec foliorum capitumque numerales cifrae, quae omnes Miniatoris manu appictae funt.

Anno 1462, Octobri menfe, Moguntia, uti fupra diximus, capta, cuncta ibi, *Trithemio t*) quoque tefte, incendio, rapinis caedibusque repleta funt; unde factum videtur, ut nullus adhuc liber repertus fit, qui annum 1463 vel 1464 typis expreffum gerat.

Anno 1465 d. 17 Dec. a Faufto excufa eft *Libri VI. Decretalium* prima editio, cuius exemplum Noribergenfe membanaceum, pariter ac Moguntinum, *u*) hoc habet finale: *Prefens opus non atramento. plumali canna neque aerea. fed artificiofa quadam adinventione imprimendi feu caracterizandi fic effigiatum* &c. In aliis vero exemplis eidem finali inferta quoque leguntur e finali Catholici a. 1460 fequentia: *Alma in urbe maguntina inclyte nacionis germanice; quam*

o) De Bibliorum Latin. Mogunt. a. 1462 duplici editione p. 9 fq.
p) Annal. Typogr. T. II. p. 114.
q) Idée p. 272 fq.
r) Origine de l'Imprim. p. 112.
s) Effai fur Gutenberg p. 91.
t) in Geftis Friderici Palat. Victoriofi, Heidelb. 1602. ap. Schelhorn Amoenit. Liter. T. VII. p. 287 fq.
u) Zapf Buchdruckergefch. von Mainz p. 31 fq.

Dei clementia tam alti ingenii lumine donoque gratuito ceteris terrarum nacionibus preferre illustrareque dignatus est. Quae verba nunc primum & quidem in hoc unico e Fausti finalibus comparent; tamen post Fausti obitum an. 1466, in omnibus fere *Schoefferi* finalibus repetita sunt usque in annum 1476, quo *Moguntiam impressoriae artis inventricem elimatricemque primam* nominare coepit. In omnibus Libri VI. Decretalium a. 1465 exemplis *Petrus Schoeffer de Gernsheim* haud amplius se vocat *Clericum.*

Eodem anno 1465 Faust excudit *CICERONIS OFFICIORUM* editionem primariam principem, in 4to, iisdem typis, quibus *Rationale* a. 1459, *x*) lineis longis. Exempla alia in membrana, alia in charta excusa sunt. Librorum capitumque tituli miniatis typis impressi sunt; initiales vero eorumdem literae non impressae sed appictae sunt. Literarum binarum aut plurium is crebro fit nexus, ut unum videatur elementum. *y*) Finale hoc est: „Presens .. opus Ioh. Fust Moguntinus civis non atramento. plumali canna neque aerea. sed arte quadam perpulcra. Petri manu *pueri mei* feliciter effeci finitum A. M. CCCC. LXV." sine mense ac die.

Anno 1466 d. 4. Febr. *Ciceronis Officia* iterum impressit Faust, cum eodem finali, mutatis tamen paullum ultimis verbis sic: *manu Petri de Gernsheim pueri mei feliciter effeci finitum. A. M. CCCC. LXVI. quarta die mensis Februarii* &c. Hunc Petrum Schoefferum de Gernsheim, Fausti *puerum*, diversum esse ab eo qui *Clericus* antea dictus est, perperam sibi persuasit *Schwarz*, *z*) qui hunc Clericum ecclesiastici ordinis hominem fuisse existimavit. Quoniam Faustus P. Schoefferum ab anno demum 1465 *puerum* suum vocat, sunt qui opinantur, Schoefferum intra annos 1462 & 1465 factum esse Fausti generum & filium adoptivum: *) alii putant Fausti *puerum* hîc nihil aliud innuere quam Faustianae officinae opera-

x) Fournier Observ. sur les Vind. Typogr. p. 17.
y) Maittaire Tom. IV. p. 275.
z) De Orig. Typ. P. II. p. 17 & 19.
*) Mercier Suppl. à Marchand p. 5 sq. cf. supra p. 20.

rium, quod tamen munus iam ante annum 1457 exercuit idem Schoefferus. *a*)

Excusa haec a. 1466 *Ciceronis Officia* Faustus eodem anno 1466 Iulio mense Parisiis dedit Ludovico de la Vernade, cancellario Borbonii ducis, teste nota, ipsius huius Vernadii manu scripta ad calcem exempli quod in Genevensi bibliotheca publica extat. *b*) Quae hoc ipso anno 1466, Augusto & Septembri mensibus, Parisios gravissime afflixit dira lues, Faustum quoque abstulisse videtur: *c*) etenim in libris post a. 1466 excusis solus comparet P. Schoefferus.

Eodem a. 1466 Moguntiae prodiit *Grammatica rhytmica* undecim foliorum in fol. min. Impressionis annum indigitant Versus in fine adiecti, qui typographum sub nomine *Ioh. Nazareni* denotant. *) Recusa est haec Grammatica a. 1468 cum subiectis versibus: *Moguntina sum fusus in urbe libellus. Meque domus genuit unde caragma venit* &c. *d*) Adhaeret eidem Pars II, prioris commentarius, serius paulo, uti videtur, impressus. In utraque huius Grammatices editione cuncta tria Faustianorum typorum genera occurrere observat *Fischer*. *e*)

PETRI SCHOEFFERI OFFICINA.

ANNO 1467 d. 6 Martii *Petrus Schoeffer solus* impressit *Thomae Aquinatis Secundam Secundae*. (quae editio de principatu certat cum Argentinensi *Mentelii* sine anno,) & d. 8 Octobr. *Clementinarum* secundam editionem: unde patet, Faustum tunc haud amplius inter vivos fuisse.

a) Schoepflin Vind. Typogr. p. 30.
b) Ibid. p. 61.
c) Ibidem.
*) Würdtwein Biblioth. Moguntina p. 86.
d) Denis Supplem. Maittairii P. I. p. 2. num. 6. Heinecken Neue Nachr. p. 224 sq.
e) Typogr. Seltenh. III. Liefer. p. 113 & 115.

Anno 1468 d. 24 Maii, postquam *Gutenbergius* quoque e vita discesserat, Schoefferus impressit *IUSTINIANI INSTITUTIONUM* editionem originalem, eique carmen subiecit, quo *utrumque Iohannem*, Gutenbergium ac Faustum, typographicae artis *primos inventores*, se ipsum vero eiusdem artis *perfectorem* declarat. Ex hoc carmine huc pertinent versus sequentes:

Hos dedit eximios sculpendi *in arte magistros*.
Cui placet en mactos arte sagire viros.
Quos genuit ambos *urbs Maguntina* Iohannes,
Librorum insignes protocaragmaticos,
Cum quibus optatum Petrus *venit ad* polyandrum
Cursu posterior introëundo prior;
Quippe quibus praestat sculpendi lege, *sagitus*
A solo dante lumen & ingenium.

Polyandrium ad quod prior venit *Petrus*, observante *Schwarzio*. *f*) denotat *sepulchrum*. Alludit enim Poëtaster ad Ioh. XX. 3 sqq. Sicuti enim *Ioannes* praecucurrerat quidem, citiusque *Petro* venerat ad Christi resuscitati sepulcrum, non tamen illud intraverat; *Petrus* autem, quamvis cursu posterior, prior tamen in illud sepulcrum introiit: sic quoque, dicit Poëtaster, *utrumque Iohannem*, Gutenbergium ac Faustum, praevenisse quidem cunctos inventa Typographia, *Petrum* autem *Schoefferum*, posterior licet ad huius artis tractationem accesserit, in eius tamen adyta priorem intrasse, cum *sculpendorum* i. e. fundendorum typorum peritia ambos illos primos artis magistros superaverit. Schoefferum faciliorem modum fundendi characteres excogitasse, artemque complevisse, dicit Trithemius. *Sculpere* literas vel libros, veterum Typographorum stylo, idem significare ac *fusis typis* libros excudere, inferius docebimus. *Meermanno g*) applaudere haud possumus, ubi se detexisse gloriatur, per *ambos Iohannes protocaragmaticos* Schoefferum, praetermisso socero suo *Ioanne Fausto*, denotare duos *Ioannes Gaensfleischios*, *Seniorem* quem fingit, & *Iuniorem* i. e. *Gutenbergium*.

f) De Orig. Typogr. P. III. p. 19 sq.
g) Orig. Typ. P. I. p. 176.

Anno 1470 *HIERONYMI EPISTOLAS*, post editionem *Romanam* anni 1468, Schoefferus impressit II. Voll. maximae formae. Elegantissima sunt earum exempla in membrana, quorum unum *Petrus Schoeffer* & *Conr. Henlif* a. 1471 dederunt Parisinae *S. Victoris* abbatiae, & pro eo, praeter duodecim scutorum auri summam, impetrarunt annuum Missae sacrificium pro ipsis & Io. Fausto, librorum impressoribus. *h*) Eodem a. 1470 Schoefferus excudit *MAMMOTRACTI* editionem primam. *Mammotractus* vel *Mammothreptus*, mamma sive lacte nutritus, exponit sensum vocum occurrentium in Bibliis Latinis, Hymnis, & Legendis Sanctorum, cum brevi expositione de sacris Ebraeorum Antiquitatibus, & de interpretatione S. Scripturae, auctore *Io. Marchesino*, Italo, Ord. Minor. circa a. 1460. *) De *Mammothrepto* egregiam *Commentationem, statum rei litterariae circa inventae Typographiae tempora* illustrantem, edidit *Chrisigau*, Francofurti ad Viadrum a. 1740. 4. Eodem a. 1470 Schoefferus impressit *Libri VI. Decretalium* secundam editionem.

Anno 1471 idem excudit *Valerii Maximi* editionem principem. fol. *Constitutiones Clementis V.* tertia vice, & *Thomae Aquinatis Primam Secundae*, quae editio huius libri princeps est.

A. 1472 *BIBLIA LATINA* Schoeffer ad praecedentia anni 1462 expressit, adeo ut pagina paginae, linea lineae respondeat, sed diversis typis. *i*) Vitium priorum editionum Esai. XXXVII. 29. *auribus* pro *naribus* hic correctum est. A. 1475 impressit *Codicis Iustiniani* editionem principem.

Anno 1476 in *Iustiniani Institutionum* finali, loco usurpatae hucusque formulae, quae Moguntiam impressoria arte ceteris nationibus a Deo praelatam esse dicit, haec iam urbs vocatur *impressoriae artis inventrix elimatrixque prima;* quod in multis post impressis libris reperiit Schoefferus, nullo unquam contradicente ullius civitatis in suo finali Typographo.

h) Schwarz P. II. p. 27. Mercier Supplem. à Marchand p. 27 sq.
*) Fabricii Bibl. mediae & inf. Latin. L. XII.
i) Panzer Annal. Typogr. T. II. p. 122.

Petrus Schoeffer quamplurimos adhuc excudit libros, omnes fere Theologiam & Ius Canonicum spectantes, usque in annum 1502. Filios reliquit tres, aeque Typographos, scil. 1. *Ioannem*, qui patri in officina successit, & ab anno 1503 permultos libros excudit usque in a. 1533. 2. *Petrum*, qui Wormatiae quoque, Argentorati & Venetiis libros impressit. 3, *Ivonem*, qui Moguntiae artem exercuit. *)

Anno 1491 *Iacobus Meydenbach* Moguntiae in finali *Horti Sanitatis*, *k*) cum figuris ligno incisis impressi, dicit: *Moguntiae ars caracterizandi seu imprimendi fuit primum inventa*. Idem Meydenbach profitetur, summam se adhibuisse diligentiam, ut descriptae in hoc opere herbae ac flores suos naturales colores, ac animalia ipsa, volucres, pisces &c. suas, sicut eas natura produxit, haberent effigies & figuras. Hic Iac. Meydenbach filius forsan fuit aut cognatus illius *Ioannis Medinbach*, quem *Anonymus Moguntinus* ineditus apud *Serarium* Gutenbergio & Fausto socium adiungit cum aliis, quemque formarum sculptorem forsan fuisse coniicit *Heinecken*. *l*) Sculptoris in ligno opera in *Donato* fixis typis excudendo usi videntur Gutenberg & Faust, immo summam hoc in genere artem produnt elegantissimae Capitales Psalterii a. 1457. Hi in ligno sculptores, pariter ac MSS. codicum Miniatores, typographicam artem ceteris operariis facilius addidicerunt, eamque celeriter extra Moguntiam diversas per urbes propagarunt: quod rupta Gutenbergii cum Fausto societate a. 1455 primum contigisse credas; tunc enim, ubi secreta ars diutius occultari haud potuit, *m*) e Moguntina officina exiisse videtur Albertus Pfister, in ligno sculptor, qui Bambergae a. 1461 & 1462 libellos cum figuris ligno incisis impressit.

Petrus de Fridberg Moguntiae ab a. 1491 permultos libros excudit, nominatim *Trithemii*, *Gresemundi Iun.* & a. 1496 *Ursini Melopomeneion* ad *Io. Dalburgium*, *Wangionum praesulem*, *&* *Philosophorum principem*.

*) Marchand Hist. de l'Imprim. P. I. p. 48 sqq.
k) Braun Notitia librorum Sec. XV. impress. P. II. p. 222.
l) Idée p. 286.
m) Anonymi Relatio ap. Wolf T. I. p. 471 & 705. Marchand P. I. p. 30.

Inter *primos artis typographicae foetus* superius p. 27. recensuimus *Literas Indulgentiarum Nicolai V. pro defensione regni Cypri contra Turcas*, à. 1454 signatas. His Indulgentiarum Literis affinis est libellus impressus, gerens annum 1455, & titulum: *Manung der Christenheit wider die Türken*, i. e. *Exhortatio ad Christianos contra Turcas*, quem libellum in Monacensi bibliotheca regia detexit, descripsitque primarius eiusdem bibliothecae custos, Cel. *Aretin* in *Allgemeiner litterarischer Anzeiger*, Monachii a. 1807 edito.

Antiquissimis his typographicae artis monumentis iungimus *Calendarium* anni 1457, quod in Moguntino tabulario detexit Cel. *Fischer*. Hoc Calendarium versus anni 1456 finem iam impressum fuisse necesse est. Calendarii typos *Fischer* *) monet esse *mobiles*, similesque iis qui occurrunt in Donati fragmentis, quorum Specimina, aeri incisa, dedit idem Fischerus tam in *Essai sur les monumens typogr. de Jean Gutenberg*, quam in *Typographischen Seltenheiten*. Addit Fischerus, ad horum typorum formam expressos esse typos, ab Alberto Pfistero Bambergae adhibitos. Hoc *Calendarium* Fischer uberius descripsit sub titulo: *Notice du premier monument typographique en caractères mobiles, avec date connue jusqu'à ce jour, découvert dans les archives de Mayence, & déposé à la Bibliothèque nationale de Paris par G. Fischer*, Mayence chez Théodore Zabern 1804. avec une Epreuve.

Statuta Provincialia antiqua & nova Moguntina ab a. 1310. foll. 50. in quarto mai. sine anno, loco & typographo, forsan Io. Gutenbergii typis excusa sunt. †)

BAMBERGENSIS OFFICINA ALBERTI PFISTERI 1461.

PRIMI qui noscuntur, extra Moguntiam, libri impressi cum indicio anni, *Bambergae* excusi sunt.

*) Typogr. Seltenh. VI. Lief. a. 1804. p. 28 sqq.
†) Seemiller Bibl. Ingolstad. incun. typogr. Fasc. II. p. 172. Meermann Orig. typ. P. I. p. 139.

FABULARUM libellus germanicis rhytmis, folio min., in fine habet rhytmos qui docent, *Bambergae* hunc libellum *finitum* esse A. C. 1461. *n*) sine indicio typographi, Alberti Pfisteri:

Zu bamberg dies puchleyn geendet ist
Nach der gepurt unsers Herren jhesu crist
Do man zalt tausend ende vierhundert jar
Und ym ein und sechzigsten das ist war.
An sant Valenteins tag
Gott behut uns vor finer plag. Amen.

Illud *geendet* i. e. *finitum* a. 1461, idem esse ac *impressum*, clarissime docet detectus a. 1792 a *Steinero*, Pastore Augustano, sequens libellus, iisdem missalibus typis Bambergae 1462 impressus: *o*)

HISTORIAE IOSEPHI, DANIELIS, IUDITHAE & ESTHERIS, germanice, in folio min. Subiunctos habent rhytmos qui docent, hunc libellum *finitum* esse *Bambergae*, ac *impressum* per *Albertum Pfister* a. 1462. *p*)

Dem püchlein ist sein ende geben
Tzu Bambergk in derselben stat
Das Albrecht Pfister gedrucket hat
Do man zalt tausend und vierhundert jar
Im zwey und sechzigsten das ist war.
Nit lang nach sant walpurgen tag.
Die uns wol gnad erwerben mag.
Frid und das ewig leben
Das wolle uns got allen geben. Amen.

Constat hic libellus 58 foliis impressis, quae gerunt 61 figuras ligno incisas, quibus singulis subiectus est textus 17 linearum; quae vero sunt sine figuris paginae, 28 lineas habent. Hunc libellum in *Steineriano* codice utrimque cingunt *duo* alii *libelli* germanici, iisdem missalibus typis, cum figuris ligno incisis, sed sine anno,

n) Lessing Beytr. zur Gesch. und Litteratur, Braunschw. 1773. I. Beytr. p. 3. Heinecken Idée p. 275. De Murr Merkwürdigkeiten Bambergs p. 253 sqq.

o) in Meusel Histor. Litterar. Magazin V Stück 1792. p. 1-38.

p) De Murr Merkwürdigk. Bambergs p. 279.

loco & typographo excusi. Horum libellorum primus continet *Criminationes in Mortem*, quae suis Responsionibus easdem diluit; Deus tandem ipse pro morte sententiam pronuntiat. Hic libellus praeter textum 34 capitum, complectitur quinque figuras, integram paginam occupantes; quarum prima sistit mortem throno insidentem, & coram illa virum cum sobole, querentem de rapta uxore, quae linteo involuta in feretro iacet; in ultima figura mors & incusator comparent coram I. C. throno. Ultimum in Steineriano codice locum tenet germanica *Bibliorum Pauperum* versio, quae 17 foliis opistographis 34 tantum historias complectitur, non 40 vel 50, uti *Latinae editiones xylographicae* & anopistographae superius memoratae. Hi duo libelli in *Guelpherbytano* codice *q*) uno volumine iuncti sunt supradicto *Libello Fabularum* anni 1461.

Hic libellus foll. 28 continet *Fabulas LXXXV*. cum figuris 101, ligno incisis, rudi prorsus minerva; quarum figurarum primam aeri incisam exhibet *Heinecken*. *r*) qui monet, hunc libellum esse *primum* ex iis qui cum figuris ligno incisis mobili charactere excusi sunt. Fabulae ipsae, ex Aesopo, Phaedro aliisque desumtae, *Gellerto* *) iudice, auctorem produnt felicis ingenii, cuius in narrando proprius quidam est & nativus lepor, quique rhytmum servat auribus gratum, quem, inde ab isto Phonascorum aevo ad *Opitium* usque, apud Germaniae poëtas frustra quaeras. Auctorem hunc esse *Bonerium* quendam, docet Prologus MS. codicis, qui, ceteris locupletior, centum Fabulas continet. Hunc Codicem asservavit Bibliotheca Argentoratensis S. Ioh. Hierosol. in cuius MSS. codicum Catalogo impresso sic tantum indicatur: *Bonerii liber dictus der Edelstein*. Excitavit eum codicem descripsitque *Oberlinus*. *s*)

Editionem *Bambergensem* anni 1461 primus memoravit *Saubertus* in Hist. bibliothecae reip. Norimbergensis a. 1643, ubi tamen haud dicit, reperiri in eadem bibliotheca hanc editionem: quod quidem ibi innuere Saubertum, putarunt aliqui. Bamber-

q) Heinecken Nachr. T. II. p. 21. Idée p. 276.
r) Idée p. 276.
*) in Praefat. ad Fabeln und Erzaehlungen, Leipz. 1754.
s) in Differt. de Bonerii Gemma, Argent. 1782.

gensem hanc Fabellarum editionem inter xylographicas refert cum Sauberto *Schwarzius*. *) ubi *Guelpherbytanae* Bibliothecae exemplum excitat, quod vero, monente *Heineckenio t*) typis fusis excusum est; *u*) ligneis autem typis impressum esse hoc idem exemplum existimat *Lessing*. qui illud descripsit uberius. Antea ex iisdem Fabellis plures, i. e. 51, ediderat *Scherzius* Argentorati ab a. 1704-1710, e Codice ante annum 1330 manu exarato, sub titulo: *Philosophiae moralis Germanorum medii aevi specimina*. Easdem Fabulas fere omnes, i. e. XCIV, e duobus aliis MSS. codicibus Turici ediderunt *Bodmer* & *Breitinger*. sub titulo: *Fabeln aus den Zeiten der Minnesinger*.

Steinerianum codicem, quem Parisina Biblioth. caesarea a. 1799 centum Ludovicianorum aureorum pretio *) acquisivit, mox curate descripsit *Camus*. *x*) qui etiam typorum specimen exhibet aeri incisum. Atramentum valde nigrum est viscosumque: Chartularii signum est *bubulum caput*. quod, praecinente *Naudeo*. *y*) perperam pro characteristica Faustianorum operum nota a multis habitum esse, iam monuerunt *Schwarz* *) & *Iungendres*. *z*) *Libelli IV Historiarum* exemplum extat quoque *Herbipoli* in Carmelitarum bibliotheca. *a*) Praeter memoratos libellos, adhuc alii quinque *Alb. Pfisteri* typis excusi sunt, *b*) ex his tres cum figuris, quatuor sine anno, loco & typographo; inter hos libellos occurrunt *Biblia pauperum Latina*, cum iisdem, quibus *Germanica*. figuris. Post annum 1462 nullus est repertus *Bambergae* impressus liber usque in annum 1481, *c*) quo ibidem *Missalia* praecipue & Breviaria excudere coepit *Io. Sensenschmidt de Egra*. qui antea *Norim-*

*) in Indice Libr. Sec. XV. impress. p. 18.
t) Idée p. 275.
u) I. Beytrag zur Gesch. u. Litter. aus der Wolfenbütt. Biblioth. 1773. p. 3 sqq.
*) Fischer Typogr. Seltenh. III. Lief. p. 40.
x) Notice d'un Livre imprimé à Bamberg 1462. Paris 1799.
y) Epigrammatum L. I. p. 52. Paris 1650. ap. Wolf T. II. p. 1211.
*) P. III. p. 45.
z) Notae characteristicae Librorum Sec. XV. impress. Norib. 1740. p. 37 sq.
a) De Murr Merkwürdigk. Bambergs p. 279. & Sprenger in libro mox citando.
b) Sprenger Buchdruckergesch. von Bamberg, Nürnb. 1800. p. 26-34.
c) Ibid. p. 35. De Murr Merkwürdigk. Bambergs p. 280.

bergae ab a. 1470 egregia ſuae artis ſpecimina ediderat. Eiusdem Senſenſchmidii officinae *Sprengerus* adſcribit libellum: *Leben der natürlichen Meiſter*, i. e. Vitam Philoſophorum, Bambergae a. 1481.

BIBLIA ALB. PFISTERO ADSCRIPTA.

Alb. Pfiſteri miſſalibus typis ſimiles viſi ſunt typi *Bibliorum Latinorum* ſine anno, loco & typographo, 36 lin. in col., foll. 870, III. Voll. in folio mai. Horum exemplum *Brunſwicenſe* ſummatim deſcripſit *Knoch*: *d*) poſt vero uberius *Schelhorn*. *e*) qui haec Biblia pro primis illis Moguntinis venditavit, quae a *Gutenbergio* maximam quoad partem impreſſa, a *Fauſto* vero & *Schoeffero* circa a. 1456 conſummata eſſe putavit. *f*) Typorum quoque ſpecimen, aeri inciſum, exhibet Schelhorn. *g*) Verum detecto Quatuor Hiſtoriarum libello, *Anonymus* quidam a. 1794 haec Biblia Alb. Pfiſtero primus attribuit. *h*) Firmari putatur haec opinio *MS. codice* qui extat in Cracovienſis Univerſitatis bibliotheca. *i*) Hic Codex, qui artes ac ſcientias ſummatim deſcribit, gerit annum 1459, & nomen *Pauli de Praga*, Philoſ. & Medicinae Doctoris. In eo codice legitur: *Libripagus eſt artifex ſculpens ſubtiliter in laminibus* (ſic) *aereis, ferreis ac ligneis ſolidi ligni atque aliis, imagines, ſcripturam & omne quodlibet, ut prius imprimat papyro aut parieti aut aſſeri mundo: ſcindit omne quod cupit, & eſt homo faciens talia cum picturis; & tempore mei* (ſic) *Bambergae quidam ſculpſit integram Bibliam ſuper lamellas, & in quatuor ſeptimanis totam Bibliam in pergameno ſubtili praeſignavit ſculpturam* (ſic.)

Haec obſcurius expreſſa ſcripſiſſe *Artium Doctorem* dubites. *Libripagus* hic deſcribitur, qui imagines cum ſcriptura inſculpit laminis aereis ac ligneis, non vero typographus, mobiles tractans typos. Quae de Libripago, aeneis laminis inſculpente imagines, hic dicuntur, anno 1459 ſerius ſcripta videntur: etenim primus

d) Braunſchweig. Bibel Sammlung 1754. p. 725 ſq.
e) De Antiquiſſima Bibliorum Latin. editione. Ulmae 1760.
f) Ibid. p. 34 ſq.
g) in Diatr. praelim. ad Quirinum p. 61.
h) Meuſel Magazin VII. Stück p. 22.
i) Ibid. & Polniſche Bibliothek IX. Heft p. 61. Warſchau 1768.

qui noscitur liber cum figuris *aeri incisis* anno demum 1477 *Florentiae* impressus est, *k*) primus in *Germania* anno 1481, *l*) primus in *Gallia* anno 1488. *m*) MScripti auctor porro dicit: *Bambergae quidam in quatuor septimanis totam Bibliam praesignavit;* quod *praesignavit* Rev. *Sprenger* idem significare dicit ac: composuit subtili sculptura in lineas & paginas, typos antea iam fabricatos, adeoque intra *quatuor septimanas* integrum Bibliorum opus absolvit, idque iam circa a. 1455.

Ast 870 foliorum opus intra 28 dies consummare potuisse Bambergensem illum anno 1455, haud facile credas. Etenim cum, teste *Phil. de Lignamine*, *n*) ipso artifice, *trecentas per diem chartas* a. 1458 impresserint *Gutenbergius* & *Faustus* Moguntiae, Argentinae *Io. Mentelius*, item post Romae *Conradus Schweinheim* socio *Arn. Pannarzio*, pariter ac *Ulr. Hahnius; o*) porro quum *trecentis fere exemplis* constiterint singulae primorum Typographorum editiones; *p*) Pfisterus, si pari solentia 300 *chartas*, i. e. folia quatuor paginarum, excudisset, ad excudenda 300 exempla *Bibliorum*, 870 folia complectentium, 435 diebus opus habuisset. Biblia, quae intra 28 dies Bambergae absolvisse dicitur Pfisterus, forsan sunt *Biblia Pauperum*, quae revera ibidem impressit iste typographus.

Qui parvos cum figuris libellos, Germanicos fere omnes, imprimere consuevit Pfisterus, num integra quoque Biblia Latina impressit? Haec Biblia si excudisset, palmarium hoc officinae suae opus num sine ullo illius indicio edidisset, ubi parvis libellis rhytmos, suae officinae testes, subiungere gestivit? Pfisteri typi similes sunt Bibliorum typis, at rudiores: unde suspicari licet, haec Biblia *Moguntiae* esse impressa, typorum autem formam *Bambergae* rudius imitatum esse Pfisterum, sicuti Eggesteinius Argen-

k) *Monte Santo di Dio* inscriptus. Panzer Annal. Typogr. T. I. p. 405 sq.
l) scilicet *Missale Herbipolense* 1481. cum unica pictura aere eleganter expressa. Heinecken Idée p. 233. Anonymus Anglus ap Wolf T. II. p. 993.
m) scilicet *Peregrination en terre sainte*, Lyon 1488. Vid. Heinecken Idée p. 164.
n) in Chronico ad a. 1458. Meermann P. II. p. 17.
o) Ibid. intra annos 1465 & 1470. Meermann P. II. p. 237 sq.
p) Schelhorn ad Quirinum p. 229 sq. Sprenger in Praefat. p. IV.

torati rudius quoque imitatus est *Faustianos* tam *Bibliorum* anni 1462, quam *Ciceronis Officiorum* anni 1465 typos, uti infra videbimus. Missalibus typis in finali Psalterii 1457 adeo similes esse dicit *Clement q*) typos *Psalterii* Lipsiae a. 1485 per *Conr. Kachelofen* impressi, ut, si sine anno, loco & typographo prodiisset hoc Psalterium, pro Gutenbergii & Fausti tentamine quodam venditari possint: unde Pfisterianorum typorum rudiorum cum elegantioribus Bibliorum typis similitudo haud evincit, in eadem officina exaratum esse utrumque opus. Missales horum Bibliorum typi quum, demtis maiusculis, fabricati sint ad formam typorum Schoefferianorum in Bibliis an. 1456 rubricatis, his tamen typis aliquantum sint maiores; haud absonum est coniicere, haec quoque Biblia Moguntiae forsan ab Io. Gutenbergio impressa, eademque esse, quae, uti superius dictum est, in Moguntina Carthusia vidit *Schwarz; r*) cui Carthusiae eadem donasse Io. Gutenbergium, testatur vetustus illius bibliothecae Catalogus MS., Schwarzio pariter inspectus, uti supra p. 31 sq. vidimus.

Haec Biblia, *Schelhorniana* vulgo dicta, uti plura alia vetustissima, nec Rubricas nec initiales librorum capitumque literas habent impressas, sed manu appictas. Eadem Biblia, variantes lectiones quod spectat, recedunt interdum a *Faustianis* anni 1462, etiam ab editione *Romana* anni 1471, quam ad amussim expresserunt *Biblia Norimbergensia* a. 1475. His omnibus in Bibliis, pariter ac in iis, quae sine anno, loco & typogr. prodierunt, Esai. XXXVII, 29 legitur: *Ponam circulum in auribus tuis*, pro *naribus tuis*, qui error in Schoefferianis demum Bibliis a. 1472 est correctus. Immo in *avibus* legi in quadam Bibliorum editione antiquissima, monuit *Bunemann; s*) haecque Biblia *Masch* quidem coniicit esse ea, quorum Tomum priorem ipse descripsit Vol. III. p. 79. §. XX; qui prior Tomus, observante *Braunio*, *t*) typis *Bertholdi Basileae* impressus est. Sed in hoc ipso Bibliorum tomo, quem Argentorati ipse inspexi, legitur: in *auribus* tuis.

q) Biblioth. curieuse Tom. IV. p. 70.
r) Masch Vol. III. p. 65 sq.
s) vid. Knoch Braunschw. Bibelsamml. p. 717.
t) in Notitia P. I. p. 53.

ARGENTORATENSIS OFFICINA IOANNIS MENTELII.

Superius iam animadverſum eſt, nullo hucusque documento idoneo eſſe probatum, ullum Argentorati librum fuiſſe excuſum antequam Moguntiae imprimi coeptum eſt. Typographicae artis praecipua quaedam inſtrumenta perſpicue quidem enumerant illi teſtes, quos anno 1439 audiverunt Senatus Argentinenſis delegati; at hunc ipſum tamen Senatum prorſus non intellexiſſe, de qua arte hic agebatur, monet *Schoepflinus. u*) Typographicam vero artem tractare Gutenbergium, ignorare haud potuiſſet idem Senatus, ſi e Gutenbergii prelo iam tunc prodiiſſent libri: quos ſane non celandos, ſed in publicum divendendos, excudere tentaverit Gutenbergius, quem Argentinae typographiam inveniſſe, *licet incomplete*, docet *Wimpheling. x*) Quin Argentorati libros excudere ſi contigiſſet Gutenbergio, illius certe memoria apud Argentinenſes haud refriguiſſet tam cito, ut in ipſa eorum urbe anno iam 1521 *Hieronymus Gebwilerus*, bonarum literarum apud Alſatas reſtaurator, *y*) in Panegyri Carolo V caeſari dicata ſcriberet, *Io. Mentelium* typographicam artem *primum mortalibus adinveniſſe Argentinae a. 1447. z*)

Gutenbergiana Argentorati tentamina excitaſſe ibidem videntur ingenium *Ioannis Mentelii*, calligraphi, germanice *Goldſchreiber*, i. e. aurarii vel miniarii ſcribae, qui a. 1447 Argentinae in civium numerum receptus, pictorumque tribui adſcriptus eſt. *a*) Hunc Mentelium forſan adſtitiſſe Gutenbergio, Argentinae primas typographicae artis cogitationes animo volutanti, coniecit *Leibnitius. b*) De hoc *Mentelio* narrat ſuperius p. 14 citatus *Wimpheling. c*) anno 1440 Io. Gutenbergium primum artem impreſſoriam Argentinae

u) Vind. typogr. p. 21 ſq. & p. 26.
x) in Catal. Epiſcop. Argentin. p. 110. edit. 1651.
y) Schoepflin Alſatia illuſtrata T. II. p. 94.
z) ap. Schoepflin Vind. typ. p. 54 ſq.
a) Ibid. p. 96.
b) in Anti-Plagiario MS. inedito, ap. Schoepflinum Vind. typ. p. 2 & 75.
c) in Epit. rer. German. cap. 65.

inveniſſe, poſt Moguntiae eandem compleviſſe: *Interea Io. Mentelium* Argentinae id opificii genus inceptaſſe, multaque impreſſiſſe volumina. His verbis innuere videtur Wimpheling, interea temporis dum Moguntiae compleretur ars, eandem Argentinae quoque ab Io. Mentelio eſſe conſummatam. Mentelium perfeciſſe artem Argentorati, uti Moguntiae eandem perfecerunt Gutenberg & Schoeffer, putat etiam *Schoepflin. d*)

Suſpicatur quidem *Meermann. e*) Mentelium Gutenbergio Argentinae commoranti iam fuiſſe notum, & ab eo in patriam reverſo arceſſitum eſſe Moguntiam poſt annum 1450, ut tanquam calligraphus impreſſos libros rubricis capitalibusque ornaret; Mentelium vero, ubi Moguntiae artem didicerit, eandem poſt annum 1455 Argentorato intuliſſe, ibique a. 1458 libros excudiſſe, teſte *Io. Phil. de Lignamine*. Aſt Mentelium inde ab a. 1447 usque in annum 1450 Argentinae eſſe commoratum, teſtatur *Documentum* authenticum. *f*) Sub annum autem 1450 *Petrus Schoeffer. calligraphus.* ſe addixit Gutenbergii Fauſtique officinae; unde colligas, Mentelium haud evocatum eſſe a Gutenbergio Moguntiam, nec ibidem didiciſſe typographicam artem, ſed quae Argentinae e Gutenbergii tentaminibus didicerat, ſuo compleviſſe ingenio. Typographiam iam exercuiſſe Mentelium Argentinae a. 1458, teſtatur auctor illius artis peritiſſimus *Io. Phil. de Lignamine* in Chronico, quod ipſe impreſſit Romae a. 1474; in quo ubi ad a. 1458 ſcripſit, Moguntiae Gutenbergium pariter ac Fauſtum, imprimendarum literarum in membranis cum metallicis formis peritos, *trecentas chartas* quemque eorum per diem facere, mox ſubiicit: *Iohannes quoque Mentelinus apud Argentinam. in eodem artificio peritus. totidem chartas per diem imprimere agnoſcitur. g*)

Argentinenſes autem cum noſſent, typographicae artis primordia in urbe ſua eſſe quaerenda, nullum tamen invenirent librum ibidem excuſum ante Mentelium, facile ſibi perſuaſerunt, *Mentelio* ſuo deberi prototypographi laudes. Poſtquam igitur *Ioannes*

d) Vind. typ. p. 59.
e) Orig. typogr. P. I. pag. 214.
f) ap. Schoepflinum Vind. typ. in Docum. p. 42.
g) ap. Meermann Orig. typ. P. II. p. 117.

Schoeffer a. 1515 asserere ausus est, avum suum *Io. Faustum* imprimendi artem *proprio ingenio excogitare specularique* coepisse a. 1450, *h*) praetermisso prorsus *Io. Gutenbergio;* haec Io. Schoefferi audacia induxisse videtur *Hieron. Gebwilerum*, ut in Panegyri Carolina, Argentinae a. 1521 per *Io. Prüss* impressa, scriberet: *i*) *Io. Mentelin chalcographandi seu stanneis calamis excudendi libros artem primus ante septuaginta & quatuor annos* (a. 1447.) *in hac urbe mortalibus adinvenit: etsi Moguntiaci cuidam Io. Fust, civi suo, id acceptum ferant.*

Mentelium primum typographiae inventorem esse, affirmavit quoque *Io. Schott*, Io. Mentelii ex filia nepos, typographus, quem doctrina & hac arte celebrem dicit idem *Gebwilerus. k*) Hic Io. Schott quibusdam libris ab ipso excusis praefixit *Io. Mentelii Insigne gentilitium*, i. e. Leonem coronatum, cum hac perigraphe: *Insigne Schottorum familiae ab Friderico Rom. Imp. III. Ioanni Mentelio primo typographiae inventori ac suis concessum A. C. MCCCCLXVI.* Hoc Insigne cum illa perigraphe Io. Schottum iam praefixisse *Ptolemaei Geographiae* a. 1520, testatur a. 1650 *Iacobus Mentel, l*) medicus Parisinus, e Menteliana Argentinensi gente oriundus. Ipsum tamen Friderici III diploma nec Io. Schott, nec Iac. Mentel produxit, quamvis ut illud produceret, Iac. Mentelius fuerit interpellatus. *m*) Fridericum III. Imp. cuncto Typographorum coetui Insigne gentilitium dedisse, refert *Fugger. n*)

Mentelium tanquam prototypographum celebravit quoque Wimphelingii ex sorore nepos *Iac. Spiegel*, qui Maximiliano, Carolo V & Ferdinando a consiliis & epistolis fuit. Hic primum a. 1520 in libro Tubingae impresso *o*) scripserat, avunculum suum

h) in Chron. Trithem. ap. Meermann P. II. p. 146 sq.
i) ap. Schoepflin Vind. typ. p. 54 sq.
k) in Paneg. Carol. ap. Meermann P. II. p. 161.
l) in Paraenesi de Typographiae origine, Paris. 1650. p. 102 sqq. ap. Wolf T. II. p. 360 sqq. & p. 212.
m) Iac. Mentel in Paraenesi Praefat. p. 3 & p. 104 sq. ap. Wolf T. II. p. 239 & 363.
n) Oestreichischer Ehrenspiegel, Nürnb. 1668. fol. L. V. cap. 2. p. 529.
o) in Comment. in Staurostichon Franc. Pici, apud Meermann P. II. p. 160.

(Iac. Wimphelingium) typographiae inventoris nominatim meminisse; post in libro Argentorati a. 1531 per *Io. Schottum* excuso *p*) narrat: *Impressoria ars Argentorati primum per Io. Mentel, Schotti nostri avum, a. 1444 inventa est.* Unde ex vera Wimphelingii mente haec scripsisse Spiegelium, contendit *Iac. Mentel*, *q*) Io. Mentelii, tanquam prototypographi, propugnator acerrimus, falsi hanc in rem commissi reus, dum, ubi citat Epigramma subiunctum *Cratetis* Cynici Epistolis, Lutetiae circa a. 1472 impressis, in quo epigrammate inventae typographiae laus tribuitur Alemanniae:

Plura licet summae dederis Alemannia laudi.
At reor hoc maius te genuisse nihil.
Quod prope divinam summa ex industria fingis
Scribendi hanc artem, multiplicans studia.

pro voce *Alemannia* substituit, *tu Argentina*. *r*)

Anonymum Chronicon Argentoratense MS... germanico Sec. XVI. vergentis stylo conscriptum, uti bene observavit *Tenzelius*, *s*) docet, typographiam a. 1440 inventam esse Argentorati per *Io. Mentelium*, qui suae artis arcana communicaverit cum ministro suo *Io. Gaensfleischio*, Moguntino, sagacis ingenii homine; hunc autem eadem arcana prodidisse *Io. Gutenbergio*, viro spectato ac diviti, qui aliquam iam habuerit Mentelianae artis notitiam; ambos tunc migrasse Moguntiam, quoniam Argentorati, praesente Mentelio, artem cum spe lucri exercere haud potuerint: proditorem vero Io. Gaensfleischium caecitate punivisse Deum ultorem. Easdem fere fabulas narrat *Dan. Specklin*, in Chron. MS. *t*) ubi Mentelio affinem adiutoremque perperam tribuit Petrum Schoefferum. Hic *Specklin*, architectonicae rei apud Argentinenses praefectus, a. 1576 praestantem Alsatiae mappam geographicam exaravit.

p) in Scholiis ad Bartolini Austriadem p. 41. ap. Meermann, ibid.
q) in Paraenesi p. 19. ap. Wolf T. II. p. 259.
r) Schoepflin Vind. typ. p. 57. Chevillier Orig. de l'Imprim. de Paris p. 52.
s) Erfindung der Buchdruckerkunst p. 61 sq. ap. Wolf T. II. p. 677 sq.
t) Utriusque Chronici MS., tabulario civitatis illati, verba recitat Schilterus in Anmerk. zu Iac. von Koenigshofen Chronik, Strasb. 1698. p. 442 & 444.

Ipse vero Io. Mentelius nusquam se praedicat typographiae inventorem, nec unquam contradixit Moguntinis, qui inventae artis gloriam suae civitati tribuerunt: quod post Mentelii demum obitum ausos esse Moguntinos, falso affirmavit *Iac. Mentel.* u) Liber Pulsuum mortuorum Summi templi Argentin. Io. Mentelium vocat simpliciter *Impressorem*, non inventorem artis, his verbis: *Obiit Dom. Ioh. Mentelin Impressor sabbatho post Conceptionem Virginis Mariae a. 1478. & factus est ei pulsus cum campana magna.* x) In eodem Summo templo sepultum esse Mentelium, tumuloque eius insculptum impressorium prelum, narrat citatus Specklinus. *y*)

Mentelius typographicis suis operibus notam anni ac typographi demum adiicere coepit anno 1473. *z*) Libros typis eiusdem *sine nota anni* impressos quam plurimos longa serie recenset *Panzer.* *a*) *Mentelii* nomen, sine nota anni, gerunt duae editiones libelli *Augustini de arte praedicandi*, quae praecessisse videntur editionem Moguntinam, quae pariter *sine nota anni* gerit nomen *Io. Fausti*, qui obiit a. 1466; cui Faustianae editioni subiuncta est *Tabula de tribus precipuis operibus predicatoris*, quae Tabula non occurrit in Mentelianis editionibus. *b*)

Inter libros typis Mentelii sine nota anni, loci & typographi excusos, numerantur *BIBLIA GERMANICA*, anno 1466 impressa, quae altera sunt e duobus antiquissimis Bibliis Germanicis, immo *Steigenbergero c*) & De *Murrio d*) iudicibus, Germanicorum Bibliorum omnium antiquissima. Horum Bibliorum exemplo *Stutgardiano* miniator hanc notam rubro colore Argento-

u) in Paraenesi ap. Wolf T. II. p. 325. Schwarz de Orig. Typogr. P. II. p. 47.
x) ap. Schoepflinum Vind. typ. p. 99.
y) in Chron. MS. ap. Schilter l. c. p. 442.
z) Schoepflin Vind. Typ. p. 47.
a) Annal. typ. T. I. p. 67-76.
b) Steigenberger über die zwo alleraeltesten deutschen Bibeln p. 48. Panzer T. I. p. 67. & T. II. p. 138.
c) Libro cit. p. 39.
d) Merkwürdigk. Nürnbergs, zwote Ausg. 1801. p. 717.

rati subscripsit: e) *Explicit liber iste anno domini millesimo quadringentesimo sexagesimo sexto formatus arte impressoria per venerabilem virum Ioh. Mentell in Argentina.* Typos eosdem prorsus esse cum typis *Augustini de Arte praedicandi* ab Io. Mentelio excusi, observarunt *Panzer f)* & *Steigenberger. g)* Emta esse haec Biblia anni 1466 mense Iunio, docet nota subscripta Monachiano exemplo, olim Iesuitarum, nunc regio, ubi in fine, sub appictis insignibus gentilitiis primi possessoris Hectoris Mulich eiusque uxoris, scriptum legitur germanico idiomate, quod latine sic sonat: *1466 d. 27 Iunii emtus est hic liber, nondum ligatus, florenis duodecim. h)* Scriptam hanc atro colore & charactere antiquo notam aeri incisam exhibet *Steigenberger. i)* In eodem Monachiano exemplo, post Ieremiae preces, miniatoris manus rubro colore scripsit: *1467 sub papa paulo secundo & sub imperatore fridrico tertio. k)* Idem annus 1467 iterata vice scriptus legitur in eorundem Bibliorum exemplo *Lipsiensis Senatus*, testibus *Tenzelio, l) Michaëli, m) Boernero n)* & *Panzero. o)*

Libros recens impressos emtores Rubricis per miniatorem compleri curabant, quod in Bibliis a *Schelhornio p)* citatis illorum possessor, germanicis quidem verbis, in hunc sensum exposuit: *A. 1473 ego Io. Gmist, dictus Brünzler, hunc librum emi, absolvique curavi rubricando, ligando, orichalceisque bullis muniendo, sicque prorsus perfectus est die sabbathi post Luciae supradicti anni.*

In his Mentelii Bibliis *fusos* typos facile agnovit Cel. *De Murr. q)*

e) Nast Nachr. von der hochdeutschen Bibelübersetzung. Stuttgard 1779. p. 14. Schoepflin Vind. typ. p. 42. ubi haec Biblia *Germanica* perperam dicuntur *Latina*.
f) Annalen der deutschen Litteratur p. 11 sq.
g) l. c. p. 19.
h) Steigenberger l. c. p. 13. Mercier Suppl. à Marchand p. 21 sq.
i) l. c. Tab. I.
k) Steigenberger l. c. p. 13.
l) Monatliche Unterredungen a. 1693. p. 674.
m) in Syntagm. Commentationum, Goettingae 1759. P. I. p. 3.
n) ad Le Long Biblioth. Sacra T. I. p. 377 edit. Paris.
o) Nachr. von den aeltesten deutschen Bibeln p. 24.
p) Amoen. Liter. T. III. p. 29.
q) Memorabilia Biblioth. Norib. T. I. p. 349.

Fixis vero in lignea tabula typis excusa esse eadem Biblia, *Fournierius r*) colligere voluit e Specimine typorum apud *Schoepflinum. s*) minus perite sculpto. Desumtum est hoc specimen e *Titulis Psalmorum*. qui in quinque foliis adhaerent his Bibliis. *Schoepflinus* recitatam quoque Bibliorum a. 1466 Subscriptionem exhibet aeri incisam, monetque, eandem non typis sed calamo exaratam esse. *t*) Hanc ipsam Subscriptionem Cel. *Fischer* denuo aeri incisam sistit in *Essai sur les monumens typogr. de I. Gutenberg* pag. 36, ibique affirmat, impressam esse eandem *fixis typis* pariter ac ipsa illa *Biblia*; indeque patere dicit, anno adhuc 1466 tabellarem tantum typographiam Argentinae esse exercitam. Idem tamen Fischer in eodem *Essai sur Gutenberg* pag. 62 illam Bibliorum Mentelii 1466 Subscriptionem vocat *manuscriptam*. haud memor eorum quae superius pag. 36 scripserat.

Mentelii typis *maioribus* excusa sunt *Biblia Latina* 49 lin. in col. sine anno, loco & typogr., curate descripta a Rev. *Braunio*. *u*) qui *Latina* haec Biblia, pro primorum typographorum more, ante supradicta Biblia *Germanica* putat esse impressa. Typorum specimen exhibet Catal. biblioth. Bolongaro-Crevennae. *x*) Horum Bibliorum exemplum, quod extat Mechlinii penes Dn. Servais, anno 1466 a miniatore signatum esse, docet Cel. *Lambinet*. *y*) Fusos typos produnt haec Biblia, quorum tria exempla Argentorati extant.

Mentelii typis *minoribus* excusus est *Astexanus de Casibus Conscientiae*. spissum in folio volumen, cuius exemplo, quod fuit apud Argentinenses Iohannitas, miniator rubro colore subscripsit: *Explicit summa fratris Astexani arte impressoria formata per venerabilem virum Ioh. Mentel anno domini MCCCCLXIX 1869 Deo gracias*. *z*). Annum 1469 iterata vice, diversisque cifris hîc signa-

r) Observat. sur les Vind. Typogr. p. 11.
s) Vind. typogr. Tab. III.
t) Ibid. p. 42.
u) in Notitia Libror. Sec. XV impress. P. I. p. 5 sq.
x) Amst. 1789. Vol. I. p. 16 sq.
y) Recherches sur l'Origine de l'Imprim. p. 116.
z) Schoepflin Vind. Typ. p. 43 & Tab. IV.

tum, confirmat Subſcriptio exempli *Pariſini* caeſarei a Cel. *Lambineto a*) citata: *Explicit primum volumen ſumme de caſibus quem ligavi & clauſi pro neceſſitate huius eccleſie anno domini 1469.* In exemplo Praepoſiturae *S. Nicolai*, Paſſavio vicinae, *Deniſio b*) teſte, ſcriptum legitur, hunc librum a. 1469 eſſe emtum. Typorum ſpecimen, cum libri Titulo & Subſcriptione, miniatoris calamo exaratis, aeri incidi curavit *Schoepflin. c*) Fuſos typos agnoſcit *Fournier. d*) monens, huius menſurae typis, e ligno ſculptis, excudi haud potuiſſe hunc Aſtexanum, quoniam minuti nimis fragilesque tales literarum ſcapi vim preli haud ſuſtinuiſſent.

Palmarium Mentelianae officinae opus X. Voll. in folio max. *Specula* ſunt *Vincentii Bellovacenſis. Morale. Naturale. Doctrinale* & *Hiſtoriale*. quorum tria priora ſine anno, loco & typogr. prodierunt; *Hiſtorialis* vero *Speculi* tribus prioribus Voluminibus adiectum eſt: *Explicit* ... per *Iohannem Mentelin*: quartum tandem Volumen hoc gerit finale: *e*) *Explicit Speculum. Hiſtoriale. Fratris. Vincentii. Ordinis. Predicatorum. Impreſſum. Per. Iohannem. Mentellin. Anno Domini. Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Tercio. Quarta Die Decembris.* Hoc Speculum Hiſtoriale *Fournier f*) impreſſum eſſe dicit charactere Romano, in quo tamen adhuc adhibitae ſint quaedam literae priſtini moris ſemi-gothici, romanumque hunc characterem eiusdem quidem craſſitudinis eſſe cum charactere reliquorum trium Speculorum, ſed diverſe figuratum; hoc vero charactere Romano in *Hiſtoriali* Speculo uſum eſſe Mentelium, poſtquam reliqua Specula excudendo priſtinos ſuos typos *fuſos* attriverat.

Iisdem quibus Speculum Naturale typis, eodem artis habitu, eademque charta, *Fournierio g*) iudice, excuſum eſt *Catholicon* ſine anno, loco & typogr. 67 lin. in col., quod Gutenbergio &

a) Recherches p. 117.
b) Supplem. Maittairii p. 496. n. 4260.
c) Vind. typ. Tab. IV.
d) Obſerv. ſur les Vind. typ. p. 21 ſq.
e) Schoepflin Vind. typ. p. 47. Fournier Orig. de l'Imprim. p. 87 ſq.
f) Ibid. p. 87 & 89.
g) Ibid. p. 79 & 84 ſqq. Panzer T. I. p. 79.

Fausto adscripserat Marchand. *h*) Ad romanum Mentelii characterem, Panzero teste, proxime accedunt libri sine anno, loco & typogr. quos recenset idem Panzer Tom. I. p. 76-80, in his p. 76 *Biblia Latina* II. Voll. in fol. mai, 56 lin. in col.

ARGENTORATENSIS OFFICINA HENR. EGGESTEINII.

EODEM fere, quo Mentelius, tempore typographiam Argentorati exercere coepit *Henricus Eckstein* vel *Eggestein*. Artium & Philosophiae magister, qui iam ab anno 1442 in civium Argentinensium vectigal pendentium laterculo comparet. *i*) *Ipsi vidimus*, scribit *Hieron. Gebwilerus*. *) *syngrapham Io. Mentelii & Henr. Eckstein. Argentinensium civium. super certis pactis. quibus alter alteri sese eo tempore* (circa a. 1447) *obligaverat. causa occultius hanc impressoriam artem inter se primam exercendi.*

Primum librum Argentorati cum indicio anni excusum, scil. *DECRETUM GRATIANI* cum Glossa, anno 1471 impressit Eggestein II. Voll. in folio max. Finale eius imitatur finalia Fausti: *Presens Gratiani Decretum* ... *artificiosa adinvencionis* (sic) *imprimendi absque ulla calami exaratione sic effigiatum & ad laudem omnipotentis Dei est consummatum per venerabilem virum Heinr. Eggestein artium liberalium Magistrum civem inclite civitatis Argent. Anno Dni MCCCCLXXI.* *k*) Typi *gothici* sunt *crassiores*. diversi a Moguntinis *semi-gothicis*, literas calamo scriptas imitantibus. Glossa, minori charactere excusa, textum undique cingit insigni difficilique mechanemate, quod, *Fournierio l*) iudice, peritissimum prodit artificem, qui iam ante hoc opus, eodem fere cum Mentelio tempore, fusis typis libros excudere coeperit.

h) Hist. de l'Imprim. P. I. p. 23.
i) ap. Schoepfl. Vind. Typ p. 100. & Docum. p. 41.
*) in Panegyri Carol. fol. 19. edit. 1521, apud Meermann P. II. p. 161.
k) ap. Schoepflin Vind. typ. p. 44.
l) Observ. sur les Vind. typ. p. 28. & Remarques sur la Lettre de M. Baer p. 50.

Eodem anno 1471 XI. Kal. Dec. Eggestein impressit *CONSTITUTIONES CLEMENTIS V.* cum Glossa, in fol. mai. Character diversus est ab eo, qui occurrit in Gratiani Decreto. In finali profitetur Eggestein, *innumera antehac divini humanique iuris volumina per ipsum esse impressa. m*) Hoc finale aeri incisum exhibet *Steigenberger. n*) Anno 1472 Eggestein *alteram* excudit *Gratiani editionem. o*) insuper *Iustiniani Institutiones* subiunctis *Constitutionibus Feudalibus* cum Glossa, in folio mai., item *Ciceronis Officia* in 4. in quibus Faustianae editionis anni 1465 characterem proxime aemulari studuit. *p*) Hos vero Eggesteinii in *Cic. Officiis* typos eosdem esse cum typis in *Decreto Gratiani* anni 1471, perperam sibi persuasit *Fournierius. q*) simulque per errorem monuit, illius quoque Decreti specimen typorum exhibere Schoepflinum: hic enim e solis Cic. Officiis typorum specimen cum eorundem finali exhibet, *r*) solum finale Steigenbergerus. *s*)

Inter innumera illa volumina, quae Eggesteinius profitetur ante XI Kal. Dec. 1471 per ipsum fuisse impressa, referenda sunt *BIBLIA LATINA* sine anno, loco & typographo, quae a quibusdam perperam sunt habita pro primis illis Bibliis a Gutenbergio & Fausto ante an. 1455 impressis. *Duplex* est haec Bibliorum Eggesteinii editio, altera alteri adeo similis, ut pro una eademque utramque habuerit *Heineckenius. t*)

Harum editionum Eggesteinii alteram, quae *prior* videtur, suo artifice & anno signavit peritissimus miniator nitidissimi horum Bibliorum exempli quod asservavit Argentinensis Iohannitarum bibliotheca. Horum quippe Bibliorum priori volumini, quod Psalterio terminatur, rubro colore eleganter subscriptum legitur: *Explicit psalterium per magistrum heinricum Eggestein anno LXVIII.*

m) ap. Schoepflin Vind. typ. p. 45.
n) Ueber die zwo aeltesten deutschen Bibeln Tab. IV.
o) Panzer T. I. p. 17.
p) Ibid. p. 17 sq.
q) Observ. sur les Vindiciae p. 24. & Réponse à Baer p. 49 sq.
r) Vind. Typogr. Tab. VI.
s) Libro cit. Tab. IV.
t) Neue Nachr. p. 229.

Hanc subscriptionem, quam aeri incisam exhibet *Schoepflinus. u*) illo ipso anno 1468 miniatoris calamo exaratam esse, cuivis inspicienti patet; idemque fatetur ipse *Fournierius. x*) qui tamen haec Biblia pro primis illis Gutenbergii & Fausti venditat, contenditque, illa anno 1468 ab Eggesteinio non esse *impressa*. sed tantum *rubricata*; insuper ex omissis in illo Dato numeralibus notis *MCCCC* colligere vult, hanc Subscriptionem non docendae posteritatis gratia esse exaratam.

Haec a veritatis specie prorsus abhorrentia proferri a Fournierio, eo magis mireris, quoniam ipse simul asseruit, *y*) eundem Eggesteinium eodem fere cum Mentelio tempore libros excudere coepisse; nec Fournierium fugere debuit, ante *Clementinas* a. 1471 excusas, Eggesteinium innumera iam impressisse volumina. Hunc igitur typographum a. 1468 libros tantum *rubricasse*. quis credat? Illud *Explicit per*. non *miniatorem* libri, sed *typographum* designare, docent supra recitatae Subscriptiones in Mentelii *Bibliis*. *in Astexano* & *in Speculo Historiali*. Idem docet finale libelli de *Singularitate Clericorum* a. 1467 *Coloniae* impressi: z) *Explicit per me Olricum Zel de Hanau . . . anno sexagesimo septimo*. ubi pariter omittitur MCCCC, aeque ac in *Comestorio vitiorum Franc. de Retza* anni 1470, in quo legitur: *a*) *Nuremberge LXX° impressus*: sic quoque *Herbarius Moguntie impressus* anno LXXXIIII. *b*) — *Explicit per Eggestein a. 68* authenticum esse, cum *Schoepflino c*) agnoverunt *Meermannus d*) & Rev. *Braunius. e*) qui monet, haec Biblia ab omnibus eruditis absque ulla dubitatione attribui Eggesteinio.

Finales notas calamo exaratas omnes vel per errorem vel per fraudem scriptas esse, existimat quidem Mercierius, *f*) fidemque

u) Vind. typ. Tab. V.
x) Origine de l'Imprim. p. 218 & 220.
y) Observ. sur les Vind. typ. p. 28.
z) Meermann Orig. typ. P. II. Tab. IX.
a) Panzer T. II. p. 167.
b) Ibid. p. 130.
c) Vind. Typogr. p. 43.
d) Orig. Typogr. P. II. p. 285.
e) in Notitia libr. Sec. XV impress. P. I. p. 120.
f) Supplém. à Marchand p. 32 sq.

denegat illi Subſcriptioni quae docet, Germanica illa Biblia ab Io. Mentelio Argentorati a. 1466 eſſe excuſa; ſimul tamen fatetur, ex illa nota Monachienſi exemplo ſubſcripta certo certius apparere, Biblia illa menſe Iunio anni 1466 iam fuiſſe impreſſa, g) quamvis eadem *Auguſtae* potius quam *Argentorati* prodiiſſe ſuſpicetur. Mentelii vero typis excuſa eſſe haec Biblia ſupra oſtendimus, quorum ſubſcriptioni auctoritate par eſt illa Eggeſteinianorum Bibliorum ſubſcriptio anni 1468. Quae Biblia impreſſa eſſe Argentorati ex eo quoque apparet, quoniam in hac urbe a longo iam tempore aſſervantur tria eorundem exempla.

Huius Bibliorum editionis exemplum *membranaceum*, cuius ſecundum tantum Volumen in Mazarinico collegio Pariſino ſupereſt, a Naudaeo olim emtum, paucis memorat *Sallier* a. 1740; *h*) uberius vero deſcribit *Fournier*, *i*) ita quidem ut evidenter appareat, Mazarinica haec Biblia eiusdem editionis eſſe cum Bibliis apud Argentinenſes Iohannitas, quae Eggeſteinio & anno 1468 attribuit miniator: quod exemplum primus excitavit Weislinger anno 1749, *k*) poſt etiam memoravit *Clement*. *l*) Eiusdem quoque editionis eſt *Luneburgenſe* exemplum a *Todio* anno 1748 *m*) & a *Clemente n*) deſcriptum; quamvis eidem Clementi ac *Maſchio o*) dubitandi ausſam praebuerit quaedam a *Sallierio p*) minus curate transſcripta Mazarinici exempli ſyllaba, ſcilicet *imp* pro *im* in prima ſtatim illorum Bibliorum linea; quem in transſcribendo errorem detexit *Fournier*. *q*) Ad eandem cum ſupradictis Mazarinicis bibliis editionem pertinere illa *Biblia*, quae ex Atrebatenſi *S. Vedaſti* abbatia Pariſinae biblioth. caeſareae illata ſunt, docet Cl. *Prunelle*.*)

Eggeſteinii Bibliis anni 1468 perſimilis eſt altera *Bibliorum* edi-

g) Ibid. p. 22.
h) in Mémoires de l'Acad. des Inſcr. & Belles-Lettres T. XIV. p. 238 ſqq.
i) Origine de l'Imprim. p. 205 ſqq.
k) in Catal. biblioth. Iohannit. Argent., Argent. 1749. p. 26.
l) Biblioth. curieuſe T. II. p. 170.
m) in Berlin. Biblioth. 1748. p. 410-422.
n) Biblioth. curieuſe T. IV. p. 77 ſqq.
o) Biblioth. Sacra, Vol. III. p. 75.
p) Mémoires de l'Acad. des Inſcr. T. XIV. p. 251.
q) Origine de l'Imprim. p. 205. in nota.
*) in Magaſin Encyclop. A. 1806. T. I. p. 72 ſq. & T. VI. p. 477.

tio, ab eodem Eggesteinio iisdem typis, eodemque paginarum numero excusa: quae editio ab aliis vocatur *BIBLIA SALLIERII*, ab aliis *BAEMLERI*. Huius editionis exemplum, quod in Sabaudiae quodam monasterio latuerat, *r*) Parisinae Biblioth. regiae intulit *Sallier* a. 1739, illudque mox descripsit, *s*) monuitque, horum Bibliorum typos prorsus conformes esse typis Bibliorum, Mazarinicorum, quae primo Volumine mutila sunt. Utraque illa Biblia uberius descripsit *Fournier*. *t*) ostenditque *Sallieriana* Biblia & *Mazarinica mutila*, iisdem licet typis excusa, ad diversas tamen editiones pertinere. *u*)

Sallierianorum Bibliorum exemplum, quod ex *Harleiana* Londini bibliotheca in *Brunswicensem* Bibliorum collectionem, post cum ea in *Guelpherbytanam* Bibliothecam transiit, paucis descripsit *Knoch* a. 1754, *x*) & ex illo *Clement*. *y*) Accuratissimam eorundem Bibliorum descriptionem dedit Rev. *Braun* *z*) iuxta exemplum in *San-Ulricana* Augustae Vindelicorum abbatia asservatum. Eiusdem editionis exemplum Argentorati possidet Cl. *Brunner*.

SALLIERIANA BIBLIA iisdem typis excusa esse quibus *Mazarinica mutila*, quae evidenter sunt editionis Eggesteinianae anni 1468, pervidit *Fournier*. *a*) ubi accuratissimam eorundem typorum collationem instituit. Utraque haec Bibliorum editio gerit lineas 45 in columna: in utraque idem est foliorum numerus. *Vol. primum* constat foliis 249. Huic primo Volumini folia tantum 248 minus accurate tribuunt *Masch*. *e*) & qui eum sequuntur,

r) Fournier Orig. de l'Imprim. p. 193.
s) in Mémoires de l'Acad. des Inscr. & Belles-Lettres T. XIV. p. 238 sqq.
t) Origine de l'Imprim. p. 188 sqq.
u) Ibid. p. 208 sqq.
x) Braunschw. Bibel Samml. p. 744.
y) Biblioth. curieuse T. IV. p. 7.
z) in Notitia de libris Sec. XV. impress. P. I. p. 118 sqq.
a) in cit. Mém. de l'Acad. T. XIV. p. 253.
b) Origine de l'Imprim. p. 206 sqq.
c) Biblioth. Sacra, Vol. III. p. 74.

Braun d) & *Panzer: e*) graviori errore *Tode f*) eiusdem editionis exemplo *Luneburgensi* folia 257 adscribit. *Vol. secundum* continet folia 244 *impressa*, quibus intermixtum est unum folium *album*: siquidem post *Baruchi* librum, quod finitur folio 81 verso, col. 2. lin. 34, non tantum omne reliquum huius paginae spatium cernitur vacuum, sed insuper eidem folio adhaeret integrum folium *album*, eiusdem chartae, quod medium interiacet foliis 81 & 82, quorum posterius incipit cum Prologo libri Ezechielis: quod quidem singulare cum in utraque editione occurrat, ex una eademque officina ambas prodiisse apparet. Quin etiam utraque haec Biblia crederes ad unam eandemque editionem pertinere, quoniam in illis singulae paginarum columnae eadem voce incipiunt, singulique Bibliorum libri, prologi & capita in eadem columnae linea ordiuntur.

Ast diversam in his Bibliis editionem prodit ea varietas, quae in illis passim occurrit, statim etiam in primis eorum lineis, ubi, quod appingendae initiali literae *F.* relictum est spatium, latius est in posteriori editione, quam in editione anni 1468, in qua etiam saepius arcte nimis cohaerent literae, quae in posteriori editione paullo latiori spatiolo distinguuntur; unde praecipue factum est, ut in eadem columnae linea non eaedem omnes voces syllabaeve semper sint collocatae, pluresque voces quae in altera editione plenis literis expressae sunt, in altera per compendia, abbreviaturas vocant, exhibeantur, eum quidem in finem, ut posterioris editionis singulae paginae & columnae exactissime responderent paginis columnisque prioris editionis. In *posteriori* editione etiam correctae sunt mendosae lectiones *editionis 1468*; quales occurrunt in prima statim illius columna *liberis* pro *libris* lin. 14: Apollonius *magnus* pro *magus* lin. 35. & fol. 2. col. 2. lin. 12. coelo *dimittitur* pro *demittitur*: in ultima vero Bibliorum linea *omnibis* pro *omnibus*. In eadem editione finale punctum, defectu spatii, est omissum, pariter ac ultima vox *Amen*: qua posita voce inchoanda fuisset nova linea, numerum linearum editionis 1468 excedens.

d) in Notitia cit. P. I. p. 121.
e) Annal. Typogr. T. I. p. 81.
f) in Berlin. Biblioth. 1748. p. 415 sqq. Masch l. c. p. 75.

Satis iam patet, utramque hanc Bibliorum editionem ex uno eodemque Eggesteinii prelo prodiisse, alteram quidem anno 1468, alteram circa annum 1470: uti idem Eggestein *Gratianum* a. 1471 a se excusum recudit a. 1472. *g*) Editiones enim suas citius repetierunt veteres typographi, quoniam pauciori constabant exemplorum numero; sic *Ioannes de Spira* Venetiis a. 1469. impressit *centum* exempla Ciceronis ad Famil. & Plinii Hist. Natur. *Conradus Schweinheim* & *Arnoldus Pannarz* Romae anno 1472 multos iam excuderant libros, quorum editiones fere omnes constiterunt exemplis 275, aliquae 300, *h*) uti inferius sub Roma videbimus.

Supra iam monuimus, *Eggesteinium* his in *Bibliis* proxime aemulari studuisse characterem *Bibliorum Faustianorum* anni 1462; uti quoque in *Ciceronis Officiis* anni 1472, rudiori quidem minerva, imitatus est characterem editionis *Faustianae* anni 1465. Hic vero Eggesteinii conatus persuasit *Sallierio*, *i*) ut anno 1740 scriberet, Biblia illa esse *prima Moguntina*, impressa intra annos 1452 & 1455. Hoc autem cum opinaretur *Sallierius*, latebant adhuc Biblia illa, quibus miniator subscripsit: *Explicit per Eggestein anno 68;* nec satis cognita erant Biblia *missalibus* typis excusa, quorum exemplum *Berolinense* ipse *Fournierius k*) anno 1759 eadem cum *Sallierianis* Biblia esse putavit. Memoratam autem notam, miniatoris calamo scriptam, idem *Fournier l*) contendit indicare nec typographum nec annum impressionis, sed rubricatorem & annum rubricationis, quoniam anno 1468 typorum *fusorum* usus iam invaluerat Moguntiae, Romae, & in diversis Germaniae urbibus, etiam *Argentorati*. Biblia vero illa *sculptis e ligno typis* excusa esse dicit, quia in illis liquido apparet *literarum inaequalitas*. Idem tamen *Fournier m*) paullo post fatetur, eandem prorsus literarum inaequalitatem deprehendi quoque in Bibliis, quae post inventos typos fusos & post annum 1465 impressa sunt, scilicet in *Bibliis*

g) Panzer T. I. p. 17.
h) Maittaire T. I. p. 49 sq. edit. Hagensis 1719. & Schelhorn ad Quirinum p. 230.
i) in Mémoires de l'Acad. des Inscr. & Belles-Lettres T. XIV. p. 252 sqq.
k) Origine de l'Imprim. p. 195.
l) Ibid. p. 220.
m) Ibid. p. 243 sq.

quae cum *capitalibus literis ligno incisis* permultis, sine anno, loco, & typographo impressa sunt. Haec ipsa vero Biblia excusa esse circa a. 1470 Basileae a Bern. Richelio, n) inferius sub Basilea videbimus. Sculptis e ligno typis an unquam excusum sit, aut excudi potuerit grande Bibliorum volumen, post disquiretur, ubi reliquas Argentorati & Hagenoae recensuerimus officinas.

Haud igitur assentiri possumus Fournierio, qui *Biblia* cum nota MS. *Explicit per Eggestein anno 68* adscribit Gutenbergio & Fausto sociis, o) *Sallieriana* autem *Biblia* soli Gutenbergio, p) post ruptam anno 1455 societatem. Hac tamen in opinione sua perstitit Fournier, ubi *Debure* q) a. 1763 excitavit Mazarinicum Bibliorum exemplum *missalibus typis* excusum, superius p. 29. memoratum, eaque Biblia primorum Moguntinorum elogio ornavit. Tunc vero Fournier r) professus est, Bibliorum illorum missales typos haud esse sculptos, sed *fusos;* idque perfectiori quadam arte: unde sequi putat, illa Biblia esse recentiora Psalterio 1457, nec ex eadem prodiisse fabrica, quoniam in illo Psalterio quaedam deprehenduntur literarum inaequalitates.

Superius p. 29. ostendimus, Biblia illa missali charactere excusa, prodiisse e fabrica *Petri Schoefferi*, e qua etiam prodiit Psalterium anni 1457. Quamvis, ipso *Fournierio* peritissimo iudice, illorum Bibliorum typi sint *fusi*, perfectionem artis prodentes; tamen in his ipsis literis inaequalitates deprehendit Rev. *Husnagel*, s) quas etiam in *Catholico* anni 1460, fusis typis impresso, animadvertit *Duve*. t) uti docebimus inferius. Memorata autem Biblia ante Psalterium anni 1457 esse impressa, docet eorum exemplum anno 1456 rubricatum, cuius fidem vocare in dubium, nullae prorsus rationes suadent.

n) vid. Panzer T. I. p. 192. coll. p. 146. num. 3. & p. 147. num. 8.
o) Origine de l'Imprim. p. 224.
p) Ibid. p. 229.
q) Bibliothéque, Theologie n. XXV.
r) in Fréron Année Litter. 1764. Tom. I. p. 183 & 189.
s) Etwas zu Masch Biblioth. Sacra, Ienae 1804.
t) ap. Meermann Orig. Typ. P. II. p. 98.

Ex Eggesteinianis Bibliis ea quae vocantur *SALLIERII*. Rev. *Braun u*) vindicare studuit *IO. BAEMLERO*, typographo Augustano. Fatetur quidem Braunius, nullo monumento typographico exploratum esse, Baemlerum horum Bibliorum typis libros excudisse; addit tamen, se eadem Biblia perseveranter adscripturum esse Baemlero, donec probatum sit, ipsis illorum typis unquam usum esse Eggesteinium. Ignoravit igitur Vir doctissimus, Bibliorum illorum typos eosdem esse cum typis Bibliorum quibus miniator subscripsit: *Explicit per Eggestein anno 68*. cuius ipsius subscriptionis auctoritate haec Biblia ab omnibus eruditis Eggesteinio tribui, monet ipse Braunius.

Illam typorum in utrisque Bibliis conformitatem ignorasse quoque videtur *Meermann. x*) qui Biblia anni 1468, memoratae subscriptionis fide, Eggesteinio tribuit; Sallieriana autem Biblia Baemlero. Eandem Bibliorum Subscriptionem anni 1468, cunctas venerandae antiquitatis ac sinceritatis notas prae se ferentem, suis lustrare oculis *Clementi* haud licuit: unde factum est, ut illam pariter ac omnes eius generis notas calamo exaratas, dubiae fidei esse pronuntiaret. *y*) Idem tamen *Clément* fidem omnem adhibuit illi notae, quam Harleiano olim, nunc Guelpherbytano Bibliorum exemplo adiecit, non ipse miniator, sed manus plane diversa: ibi enim ad calcem primi Voluminis, post finalem rubricam *Explicit Psalterium*. miniatoris calamo, rubroque colore scriptam, diverso prorsus & charactere & colore, i. e. grandioribus literis & caeruleo colore, scriptum cernitur: *BAMLER 1866. a*) quae nota plane non cohaeret cum praecedente finali rubrica; contra vero, veneranda illa Argentinensis exempli Subscriptio: *Explicit Psalterium per magistrum heinricum Eggestein anno LXVIII*. eodem quo ceterae omnes Rubricae & charactere & colore rubro ipsius miniatoris manu est exarata.

Is qui notam *Bamler 1866* illis Bibliis adiecit, si typographum

u) in Notitia librorum sec. XV. impress. P. I. p. 130 sq.
x) Orig. Typogr. P. II. p. 285. in Indice.
y) Clement Bibl. curieuse T. II. p. 170.
z) Ibid. T. IV. p. 88.
a) Knoch p. 744.

indicare voluit, incerto illo rumore deceptus est, quem literis consignavit *Gasserus* in *Chronico Augustano* a. 1571, *b*) qui primus narrat Io. Baemlerum Augustae anno 1466 *Biblia* excudisse *Latina*. Ubi enim in illo Chronico Gasserus memoravit primos Moguntiae, Argentorati, Romae & Neapoli typographos, ex Augustanis solum citat Baemlerum, qui in annum 1495 usque libros ibidem excudit, prorsusque tacet principes Augustae ante Baemlerum typographos, *Güntherum Zainer* & *Ioannem Schüssler*, praestantioribus longe operibus hoc Baemlero illustriores: qua quidem narratione Gasserus se ipsum prodit Augustanarum rerum typographicarum minus peritum. *Zainerus* Augustae impressit *Biblia Germanica*, *c*) praestantioris formae, cum indicio loci, sed tacito anno & artifice, quae Biblia post obitum Zaineri a. 1478, *d*) incertus rumor commutasse videtur in Latina, adscripsisseque Baemlero, annoque 1466. Primum quod noscitur Baemleri opus gerit annum 1472, nec ullus extat typis eiusdem sine indicio anni excusus liber, quem ante annum 1472 forsan impressum esse, coniicere possis. Anno 1466 Biblia si iam excudisset Baemlerus, non per integrum quinquennium eius quievisset officina usque in annum 1472.

Plura *Biblia Germanica* Augustae esse impressa per *Güntherum Zainerum*, *Sorgium*, *Schoenspergerum*, *Ioannem* & *Silvanum Otmaros*, *Steinerum*; nulla vero *Latina Biblia*, nec ulla unquam Biblia per Baemlerum, inferius sub Augusta videbimus. Ii tamen, qui credere aequum censebant, Latina quoque Biblia Augustae esse impressa, huic urbi attribuerunt Biblia Argentorati sine anno, loco & typographo excusa, eaque adscripserunt Baemlero; quem nulla plane impressisse Biblia, haud verosimile esse putabant. E turbido incertae traditionis fonte *Gasserum* Biblia Latina tribuisse Baemlero, monet *Bruckerus*. *e*)

b) ap. Menken Script. rer. German. T. I. p. 1660. & Brucker vita Gasseri in Schelhornii Amoen. liter. T. X. p. 1023.

c) Panzer Beschreib. der aeltesten Augsb. Bibeln p. 17. & Annalen der deutschen Litteratur p. 15.

d) Zapf Augsb. Buchdruckergesch. Einleit. P. I. pag. x. & P. II. p. vi.

e) in Origin. Typographiae Augustanae in Museo Helvet. Vol. VI. p. 364.

Solius tamen Gasseri testimonio stare Biblia Latina Baemleri fatetur citatus a *Clemente f)* *Krausius*, qui monet, ex Gassero sua de his Bibliis hausisse scriptores posteriores. Iidem Clement & Krause frustra provocant ad Biblia Baemleri Latina, quae ante annum 1470 impressa esse dicunt, scil. ad Biblia sine anno, loco & typographo, *Gothae* asservata, quibus illorum olim possessor *Steph. Losniczer* a. 1470 nomen suum adscripsit, quaeque memoravit *Tenzel, g)* coniecitque, illa forsan impressa esse Augustae per Io. Baemlerum, porroque monuit, *h)* eorundem Bibliorum exemplo *Lipsiensi* miniatorem appinxisse annum 1467. Etenim *Gothana* haec & *Lipsiensia* Bibliorum exempla haud sunt *Latina*, sed *Germanica*, ab ipso *Clemente i)* ipsius Tenzelii verbis descripta, quaeque ab *Io. Mentelio* excusa esse, supra pag. 57 sq. ostendimus. Gasseri de Bibliis Baemleri narrata exscripserunt, pro more suo, *k)* *Crusius* in Annal. *Suevicis* a. 1595, *l)* & recentiores nonnulli, Bruckero *m)* & Panzero *n)* reclamantibus. Biblia autem Latina si revera excudisset Baemlerus, non excudisset illa iisdem typis, quibus Eggestein Biblia impressit anno 1468, sed suis typis, quos inaequalitate sua ab aliorum typographorum typis facillime distingui, monet *Zapf. o)*

BIBLIA LATINA, lin. 41 in col. & *CONSUETUDINES FEUDORUM*, in fol. sine anno, loco & typographo, typis grandioribus, non tamen missalibus, Eggesteinius excudisse videtur. Typis enim quos adhibuit in *Constitution. Clementis V.* 1471, conformes sunt typi tam illorum *Bibliorum*, iudice *Panzero*, *p)* quam typi *Consuetudinum Feudalium*, observante *Seemillero*. *q)* Hunc *Feudorum* librum iisdem typis inaequalibus quibus illa Biblia, aut

f) T. IV. p. 88.
g) Monatliche Unterredungen anni 1692. p. 695.
h) Ibid. anni 1693. p. 673.
i) Bibliothéque curieuse T. III. p. 309.
k) Brucker l. c. in Museo Helv. Vol. VI. p. 363.
l) Dodec. III. p. 420.
m) Libro citato in Museo Helvet. Vol. VI. p. 364.
n) Beschreib. der Augsb. Bibeln p. 1 sq.
o) Augsb. Buchdruckergesch. P. I. Einleit. p. XXV.
p) Annal. typ. Tom. I. p. 80.
q) Incun. typogr. bibl. Ingolstad. 1787. Fasc. I. p. 137.

forte paullo rudioribus, esse impressum, monet *Schwarz. r*) indeque colligit, hos typos e ligno sculptos esse: *Glossas* vero, in margine libri *Feudorum* positas, minorique charactere excusas, *fusis* potius typis, sed satis rudibus, impressas esse fatetur. Feudorum libri titulus: *Incipiunt consuetudines Feudorum* &c. miniatis typis excusus est, quae iterata impressio rubro colore, monente *Fournierio. s*) perfectiorem iam artem prodit; unde ad annum circiter 1470 referendus videtur hic liber, quem recudit Eggesteinius cum nota typographi & anni 1472.

BIBLIA GERMANICA. affinia *Mentelianis* anni 1466, pariterque sine anno, loco & typographo, *Eggesteinio* vindicare annisus est *Steigenberger*. Ambo haec Biblia, Germanicorum omnium sunt antiquissima.

Ex his Bibliis altera, quae 60 lineas in columna gerunt, *Steigenbergerus t*) monet excusa esse typis *Glossarum* in supradicto *Feudorum* libro, sine anno, loco & typographo, quibus typis impressus quoque est *Apparatus Innocentii IV. super Decretales*. Argentinae a. 1478, sine indicio typographi. *t*) Steigenbergero assentiuntur *Braun u*) & *De Murr. x*) Eorundem Bibliorum duo asservantur *Stutgardiae* exempla, quorum alteri adiectae sunt duae notae finales manu exaratae, quae docent, haec Biblia Germanica a Fausto & Schoeffero excusa esse a. 1462, *eodem* cum *Bibliis Latinis die. y*) Harum notarum finalium *prior*, quae posita est ad calcem Apocalypseos, ipsissimum est finale Fausti in *Ciceronis Officiis* anni 1466, in quo Schoefferus dicitur *puer* Fausti; cuius tamen finalis annus transformatur in annum Bibliorum Latinorum *1462 in vigilia Assumptionis Mariae*. In horum vero Bibliorum finali Schoefferus appellatur *Clericus*, non *puer* Fausti, quae appellatio anno demum 1465 eidem tribuitur; unde satis apparet,

r) in Indice novo librorum Sec. XV. impress. p. 31 sq.
s) in Fréron Année litter. 1764. T. I. p. 188.
t) Abhandl. über die zwo alleraeltesten deutschen Bibeln, München 1787. p. 37.
u) in Notitia P. I. p. 22 sqq.
x) Merkwürdigk. Bambergs p. 270.
y) Panzer Nachr. von den alleraeltesten deutschen Bibeln, p. 10 sq.

notam hanc finalem Bibliis illis Germanicis inepte prorsus esse applicatam. *Posterior* autem nota finalis, Stutgardiano exemplo adiecta, scriptaque in folio illis Bibliis adhaerente, sed tenuioris chartae minorisque formae, ipsissimum est finale illud *prolixius* Bibliorum Latinorum Fausti a. 1462, servato quoque eodem eiusdem anni die. Eodem vero anni 1462 die Faustum Germanica aeque ac Latina Biblia absolvisse, vix credas; & si absolvisset, Germanicis quoque adiecisset finale typis excusum, uti illud subiecit Latinis.

Eggesteinii charactere minori excusus est *Iulius Caesar* a. 1473, sine loco & typographo. z) Insignem numerum librorum, quos impressit Eggesteinius, recenset *Panzerus*; & quidem eos, qui sunt sine nota anni, T. I. p. 80-88.

OFFICINAE ARGENTORATENSES VARIAE.

Georgius (*Ieorius*) *Husner*, typographus, eodem fere quo Mentelius ac Eggesteinius tempore, Argentorati eminuit. Hic Husner anno 1473 *Durandi Speculum iudiciale* impressit *exsculptis aere litteris*. a) Idem a. 1476 *Nideri Praeceptorium divinae legis* excudit *quodam dignae admirationis modo ... litteris sculptis artificiali certe conatu ex aere*. b) uti ipse profitetur in horum librorum finalibus. Ipsissima Husneri verba repetiit *Io. Wiener*. in sua Nideri editione Augustae Vindelicorum a. 1479. c) Ad illa verba: *sculptis ex aere litteris*. observat *Schwarz*: d) „Ita vero veteres typographi *literas sculptas* appellarunt, quas proprie dixeris *fusas*." Certe, si non *fusi*, sed *sculpti*, proprie sic dicti, fuissent illi Husneri & Wieneri typi, in *dignam admirationem* rapuissent neminem, nec *Argentorati* a. 1476, nec *Augustae* a. 1479: in utraque

z) Idem Annal. typ. T. I. p. 18.
a) Ibidem p. 19.
b) Ibid. p. 21. Voces *ex aere* perperam omisit Maittaire T. IV. p. 369.
c) Ibid. p. 109.
d) De Orig. Typogr. P. III. p. 18. cf. supra pag. 43.

enim urbe a pluribus iam annis *fusum* characterem, eumque elegantiorem, adhibuerant *Mentel.* e) *Zainer* f) & *Schüssler.* g)

Mentelio successisse *ADOLPHUM RUSCH*, mox Adolpho *Martinum Flach*, scribit *Wimpheling.* h) *Ruschii* nomine signatus liber nullus adhuc est repertus; tamen *Terentio* & *Valerio Maximo*, *Mentelii* charactere maiori excusis, unoque volumine compactis, antiquus possessor adscripsit, *Terentium* se emisse a. 1470, *Valerium* vero *Maximum* sibi missum esse a famoso eiusdem impressore *Adolfo de Ingwilen.* i). *Adolphum Rusch*, proprie *Rausch*, *Schoepflinus* k) dicit *Ingvillanum*, qui Mentelii filiam *Salomen* in matrimonium acceperit, quae post mariti obitum nupserit Philippo Sturmio, Equiti. Hanc tamen Salomen, Rauschii, post Sturmii uxorem, Schoepflinus alibi l) non *Menteliam*, sed *Lenzleriam* vocat. A Rauschiis nomen accepit *Rauschenburg* castrum, prope *Ingvillam* situm, in quo inventam esse Typographiam opinati sunt quidam, uti scribit *Irenicus.* m)

MARTINUS FLACH, lat. *Simus*, ex Basilea se progenitum dicit in Roderici Speculo vitae hum. quod a. 1475 impressit. Inter alia excudit a. 1494. *Io. Gersonis* Opera III. Voll. in fol. min., typis *fusis*; cui operi subiunxit versus transscriptos ex editione Basileensi Nic. Kessleri a. 1489: *Noscere forte voles quis sculpserit hoc opus aere, presserit has chartas* &c. n) Anno 1500 romano caractere impressit *Wimphelingii Adolescentiam.* o) Huius filius *Martinus Flach*, *Junior*, a. 1502 *primus* impressit *Quartum* Volumen *Io. Gersonis*, curante *Wimphelingio.* p)

e) Schoepflin Vind. typ. p. 47.
f) Panzer T. I. p. 101. num. 11.
g) Idem in Beschr. der aeltesten Augsb. Bibeln p. 12.
h) Epit. rer. Germ. cap. 65.
i) Panzer T. IV. p. 224. cf. T. I. p. 74.
k) Vind. typ. p. 100 sq.
l) in Alsatia illustr. T. II. p. 237.
m) in Exegesi Germaniae L. II. cap. 47. Hagenoae 1518.
n) Panzer T. I. p. 51.
o) Ibid. p. 65.
p) Rieggeri Amoen. litter. Friburg. Fasc. I. p. 74 sq.

Martinus Schott, qui iam anno 1481 Argentorati typographiam exercuit, *q*) anno 1498 eleganti charactere *romano* excudit librum in 4. cui titulus: *r*) „*Petri Schotti*, Argentinensis patri„cii, iuris utriusque doctoris consultissimi, oratoris & poëtae ele„gantissimi, Graecaeque linguae probe eruditi, *Lucubratiunculae* „ornatissimae.“ Continent Epistolas & Carmina. Obierat P. Schottus anno 1490, aetatis 32, eiusque eruditionem singularem, moresque egregios celebrat *Wimpheling* in Epistola operi praefixa, quae legitur apud *Rieggerum*. *s*) pariter ac Epitaphium quod eidem Schotto posuerunt amici in aede D. Petri Iunioris, cuius fuit canonicus.

Hic patrem habuit illum *Petrum Schottum*, consularem, quo potissimum annitente, sumtuumque partem conferente, *t*) *Ioannes Geiler de Kaisersberg* primus cathedralis aedis concionator constitutus est a. 1478, qui suis in Sermonibus tam in Synodo ad Episcopum & clerum, quam in templo ad populum, illius seculi mores cum reprehendisset graviter, maiori quidem cum applausu quam fructu, secessit *Augustam* a. 1488, proximo tamen anno 1489 Argentoratum rediit, inductus ardentissimis precibus Petri Schotti, canonici: quem Kaisersbergii ex Augusta reditum *Laguille u*) male confundit cum eiusdem vocatione ad munus concionatoris a. 1478, cuius vocationis auctorem perperam dicit Petrum Schottum, canonicum. Obiit *Kaisersbergius* Argentorati a. 1510, sepultusque est ante eum ipsum, quem ornaverat, suggestum. Epitaphium, quod illo anno Commendator & fratres Ord. S. Ioh. Hierosol. posuerant *Kaisersbergio*. *Theologo integerrimo, qui supra XXX annos Christi legem Argentinensibus exemplo & sermone constantissime patefecit*, in ipsam cathedralem aedem anno 1633 transferri iussit Argentoratensis Senatus, protestantium sacris addictus. *x*) De Kai-

q) Panzer Annalen der deutschen Litter. p. 117.
r) Amoen. Friburg. Fasc. II. p. 187.
s) Ibidem p. 187-189.
t) Testibus B. Rhenano in Vita Kaisersbergii, Argent. 1510. ap. Riegger p. 63. & Wimphelingio in Catal. Episcop. Argent. n. 77. cuius verba pessime truncat Guillimannus de Episcopis Argent. p. 425. ubi ea quae Wimphelingius tribuit P. Schotto, adscribit Roberto Episcopo.
u) Hist. d'Alsace Strasb. 1727. P. II. p. 5. edit. in folio.
x) Ibid. p. 6.

ſersbergio, eiusque operibus Argentorati impreſſis, plura inferiu dicturi ſumus.

IOANNES SCHOTT. Martini, uti videtur, filius, Io. Mentelii ex filia nepos, doctrina quoque clarus, qui *Enchiridion poëticum* a. 1514 conſcripſit, Argentorati a. 1500 impreſſit *Exceptiones Legum Roman.* char. romano; *y*) & 1502 *Bapt. Mantuanum de temporum calamitatibus. z*) Poſt vero *Margaritam Philoſophicam* excudit *primum Friburgi* a. 1503, *a*) *ſecundaria opera Argentinae* 1504, *b*) *tertio Baſileae* a. 1508 cum Mich. Furtero. *c*) Dehinc ſemper Argentorati permultos libros impreſſit, inter quos a. 1510. *Homeri Odyſſeam.* latine.

Anno 1513 excudit *PTOLEMAEI Geographiam.* latine, cum 47 mappis geographicis, ligno inciſis, in fol. max. *d*) *Secundam Ptolemaei* editionem impreſſit a. 1520; *e*) cui, teſte Iac. Mentelio, praefixit Io. Mentelii Inſigne gentilitium cum perigraphe, uti ſuperius pag. 55. dictum eſt. A. 1515 impreſſit *Luciani Dialogos Deorum.* graece, cum verſione latina *Othmari Nachtgall. f*)

Anno 1523 excudit *Ulrichi ab Hutten Expoſtulationem cum Eraſmo Roterodamo. presbytero. theologo.* ſine indicio typographi; cui libro Eraſmus oppoſuit *Spongiam adv. aſpergines Hutteni.* Baſileae 1523, menſe Septembri, apud Io. Frobenium. Eodem anno Io. Schottus iterum impreſſit *Hutteni Expoſtulationem cum Eraſmo.* cui ſubiuncta eſt: *Othonis Brunfelſii pro Ulricho Hutteno defuncto, ad Eraſmi Roter. Spongiam Reſponſio. g*) Unde de *Io. Schotto* queſtus eſt *Eraſmus* duabus *Epiſtolis ad Senatum Argentinenſem* datis anno 1524, *h*) in quarum poſteriori data d. 23 Auguſti ſcribit: *Omnia*

y) Braun Notitia P. II. p. 320.
z) Panzer T. VI. p. 21.
a) Panzer T. VII. p. 58.
b) Panzer T. VI. p. 31.
c) Ibid. p. 184.
d) Panzer T. VI. p. 60.
e) Ibid. p. 94.
f) Ibid. p. 73.
g) Panzer Ulrich von Hutten in litterar. Hinſicht, Nürnb. 1798. p. 171 ſq.
h) Tom. III. Opp. Eraſmi col. 793. & 804. edit. Clerici.

recusavi quae mihi principes obtulerunt. ut scriberem adversus Lutherum. immo mea malui perdere. quam ad affectus quorundam scribere. contra meam conscientiam.

Idem *Io. Schott* a. 1530 & 1532 impressit *Herbarum vivas icones per Ottonem Brunfels.* i) A. 1531 *Iac. Spiegelii* scholia ad Bartholini Austriadem, k) in quibus Typographiam ab Io. Mentelio, Io. Schotti avo, inventam esse dicit a. 1444; id ipsum vero anno 1442 factum esse monetur in *Lexico Iuris.* quod a. 1541 impressit quoque Io. Schott, cui etiam praefixit Insigne Mentelii cum perigraphe, pariter ac Ottonis *Brunfelsii Onomastico medico* anno 1543. l)

IOANNEM PRÜSS innumera volumina Argentinae excudisse scribit *Wimpheling in Epitome rer. Germanicarum* cap. 65, quem librum idem Prüss a. 1505 primus impressit. m) Hic iam a. 1483 Argentorati libros excuderat, n) & a. 1487 & 1488 *Fasciculum Temporum.* in quo ad annum 1457 legitur: o) *Librorum impressionis scientia circa haec tempora reperitur in urbe Moguntina.* Eius filius *IO. PRÜSS, IUNIOR,* libros e prelo emisit a. 1513; post anno 1521 *Hieronymi Gebwileri Panegyrin Carolinam.* p) in qua dicitur, Typographiam inventam esse Argentinae ab Io. Mentelio a. 1447. Recusus est hic liber Argentorati a. 1641. q)

IOANNES REINHARD, dictus *GRÜNINGER* a patria Grüninga Würtembergicae ditionis oppido, librorum quos Argentorati impressit & numero & elegantia eminet. A. 1483 cum *Henr. de Ingwiler* impressit *Petri Comestoris Hist. Scholasticam.* r) A. 1496 *Antoninum.* Florentinum archiep., de *Casibus* conscientiae IV. Voll. in fol. *aereis litteris.* s) item *TERENTIUM*; & a. 1498 *HORATIUM*

i) Panzer T. VI. p. 117. & 121.
k) Ibid. p. 120. Schoepflin Vind. p. 55.
l) Iac. Mentel ap. Wolf T. II. p. 261 sqq. & p. 360.
m) Panzer T. VI. p. 32. num. 51.
n) Panzer Annalen der deutschen Litter. p. 140.
o) Schwarz de Orig. Typogr. P. III. p. 32. Panzer T. I. p. 31. & 35.
p) Idem T. VI. p. 95.
q) Schoepflin Vind. p. 54 sq.
r) Panzer T. I. p. 24.
s) Ibid. p. 57.

nitidissime cum commentariis & figuris ligno incisis, in fol. *t*) A. 1497 *Wimphelingii Isidoneum* de erudienda iuventute, & *Seb. Brant Navem Stultiferam* cum figuris. Eiusdem *Carmina* a. 1498 charact. rom. *u*)

Anno 1508 *WIMPHELINGII Catalogum Episcoporum Argentin. x*) impressit Grüninger. Auctor in Praef. ad Cathedr. ecclesiae canonicos monet, hunc Catalogum se conscripsisse rogatu *Io. Kaisersbergii*, additque: *Nec tamen quorundam nostrorum Praesulum imperfectiones aut fragilitates omittendas esse iudicavi . . . Exemplum habemus a Gregorio, a Platina, qui defunctorum vitam recensentes, flagitia silentio non transierunt.* Hic liber summa fide recusus est Argentorati a. 1651, curante *Moscheroschio*, qui lectorem monet: *Licet plura insint Authori, quae Statui moderno, Guilimanno y*) *etiam, minus accommoda videantur; nolui tamen istius Seculi cordatioris & vere dicam candidioris amplexandam ingenuitatem in ambiguum rapere.*

A. 1518 Grüninger impressit *IO. GEILERI KAISERSBERGII, Sermones & varios tractatus*, fol. Ad calcem legitur: *Petrus Wickgram, Theol. D., illius nepos ex sorore, & in officio praedicaturae Argentinensis successor, ex veris originalibus Exemplaria congessit. z*) In Oratione habita in Synodo a. 1482 praesente Episcopo *Alberto Bavaro*, dicit Kaisersbergius: *O Deus! quorsum hi maiores temporalium bonorum pali detraxerunt spiritualia, quantum depresserunt & fregerunt; ecce de profunda humilitate in extremam pompam & superbiam: docet hoc fastus multorum ex Praelatis, a summo usque deorsum: de largitate in avaritiam; de castitate in luxuriam . . . Quid dicerem, si dicere vellem de ingressu virorum in monasteria monialium, & mulierum in claustra monachorum, unde abominanda foetuum nondum natorum homicidia perpetrantur. Sed ecce tempus me deficit, & tuam expectamus dictionem; dic igitur aliqua pro reformatione ecclesiastica, sed & manus exhibe executionis. Alioqui quid proderit novas veteribus superaddere sanctiones, si neque veteres fiant neque novae.* fol. 15, 16, 17.

t) Ibid. p. 56. & 61.
u) Ibid. p. 59. 60. & 61.
x) Rieggeri Amoen. Friburg. Fasc. II. p. 314 sq.
y) De Episcopis Argentorat. Friburgi 1608.
z) Panzer T. VI. p. 86.

In Admonitione ad Episcopum recens consecratum *Wilhelmum de Hohenstein* a. 1507 dicit Kaisersbergius: *Nunc tibi ponenda est securis ad radicem... Haec est illa maledicta cupiditas, omnium malorum radix, quae facit Episcopos permittere fornicationes publicas, concubinatus & adulteria pro pecunia: immo ipsa literas excogitat, quas Toleramus appellant, quibus habitis omnis nequitia toleratur, & de medio tollitur omnis honestas. Haec iubet ficta contra concubinarios in valvis affigere mandata, non ut concubinae exterminentur, sed ut bursae evacuentur.... Non affigantur mandata publice contra concubinarios sine debita & efficaci executione eorundem, solum propter pecuniam ab eis emungendam, in magnum contemtum & ridiculum Episcopi mandantis, ita ut etiam, cum visum fuerit tale mandatum, vulgo dicatur: Episcopus iterum indiget pecunia.... Quae tibi esse poterit ad corripiendum concubinarios frons, si tu ipse, vel Officiales tui, tales fuerint. Sed ais: Et quid faciam? numquid eos amovebo? & quod si fecero, ubi recipiam castos quos eis sufficiam? Non dico, pater, ut amoveas, sed fac saltem, ut, si in officio permanere voluerint, concubinas non teneant, sed amoveant.* fol. 25 & 26.

His Kaisersbergii opusculis in fine addita est duplex eiusdem *Vita* a. 1510 scripta, altera per *Beatum Rhenanum*, altera per *Iac. Wimphelingium*, qui in eius praefatione ad Wickgramos fratres dicit: *Gloria, lux, honor atque decus Argentoratensis cleri, non Apollinis sed veri Dei oraculum cecidit: cecidit, inquam, Io. Geiler Kaisersbergius, Argentinensis ecclesiae tuba, praesidium & pater pauperum..., Ioannis Gerson illustrator,* *) *nulli blandus adulator, non peccata nimium attenuans, nec plus aequo exaggerans, in dicenda veritate nullius timens potentiam.* De *Io. Kaisersbergio*, deque eius ex sorore nepotibus *Conrado* & *Petro Wickgramis* fuse agit *Riegger in Amoenit. liter. Friburgensibus*, Ulmae 1775. Fasc. I. p. 54 - 169.

Idem *Grüninger*, qui *Anti-Lutherana* imprimere consuevit, a. 1522 recudit *Henrici VIII. Angliae regis, assertionem septem sacramentorum adv. Lutherum.* 4. Prodierat hic libellus primum *Romae* & *Londini* a. 1521. Editioni huic Argentinensi additam esse Episto-

*) *Io. Gersonis* opera cura Io. Kaisersbergii a. 1488. prodierunt III. Partibus, sine indicio loci & typographi. Riegger Amoen. Frib. Fasc. I. p. 74. coll. p. 121. Panzer T. I. p. 35.

lam *Erasmi* Roterodami, illius operis commendaticiam, uti refert *Panzer*, *a*) dubium valde videtur, quoniam ipse *Erasmus* a. 1523 professus est, *b*) regium illum libellum legere sibi non licuisse, *nisi ex editione miserabili Argentinensi.* His praemisit: *Irritabat multos ridicula suspicio, quae persuaserat, libellum quem rex Anglorum scripserat adversus Lutherum, meo marte compositum esse, caeterum titulum regis additum, quo magis gravaretur Lutherus: & hac de re tam stulta scribebant ad me serio magni principes & amici docti, conantes expiscari veri professionem.*

Eodem anno 1522 Grüninger excudit PTOLEMAEI *Geographiam*, *c*) latine, *aereis notulis* cum 47 mappis geogr. ligno incisis, quibus singulis subiunguntur illarum regionum descriptiones: quam editionem curavit *Laur. Phrisius*, medicus & mathematicus. Alteram PTOLEMAEI editionem Grüningerus impressit a. 1525, *d*) interprete *Bilib. Pirkheimero*, qui adiecit *Io. de Regiomonte* adnotationes in errores prioris interpretis Iac. Angeli. Singulorum foliorum altera pagina ornata est figuris, ligno eleganter incisis. Splendidam hanc Ptolemaei editionem, a Pirkheimero, Noribergensi, curatam Grüninger excudit communibus impensis cum *Ioanne Kobergero*, filio illius *Antonii Kobergeri*, Noribergensis, quem Typographorum facile principem salutat *Iod. Badius* a. 1499. *e*) In utraque hac editione per Grüningerum annis 1522 & 1525 excusa comparet famosus ille de Palaestina locus: *f*) „Scias, iniuria aut iactantia pura tantam huic terrae boni„tatem fuisse adscriptam, eo quod ipsa experientia peregre pro„ficiscentium hanc incultam, sterilem, omni dulcedine carentem „depromit." Hunc locum, a prioris editionis curatore *Laur. Phrisio*, uti videtur, profectum, *Mich. Servetus*, Hispanus, retinuit quidem in prima sua *Ptolemaei* editione *Lugduni* anni 1535, in qua Pirkheimeri translationem ad Graeca exemplaria recognovit, suisque scholiis Ptolemaeum illustravit; ast eundem expunxit

a) Tom. VI. p. 98.
b) in Epist. ad Laurinum Tom. III. Opp. p. 882 sq. edit. Basil.
c) Panzer T. VI. p. 97 sq.
d) Ibid. p. 107.
e) ap. Maittaire Vol. I. p. 79.
f) Mosheim anderweitiger Versuch einer Ketzergesch. Helmst. 1748, p. 263.

in *secunda edit. Viennae Allobr.* a. 1541. *g*) Grüninger iam a. 1502 nitidissime excudit *VIRGILIUM* c. figuris & c. comment. *Servii* &c., curante *Sebast. Brant. h*) *Biblia Germanica* anno 1485 Argentorati excusa, cui typographo tribuenda sint, nondum liquet. *i*)

HENRICUS KNOBLOCHZER Argentinae a. 1478 & 1485 impressit *Belialem.* germanice, *k*) qui liber Iudiciarii processus formam docet, cum figuris ligno incisis: subiungitur duplex finale latinum & germanicum, transscriptum ex editione Augustana Io. Baemleri a. 1473, *l*) e quibus latinum docet, hoc opus *aereis figuris*, i. e. literis, esse perfectum.

IOANNES KNOBLAUCH. Henrici forsan filius, impressit an. 1497 *Gesta Romanorum;* a. 1505, 1506 & 1511 *WIMPHELINGII* libellum de *INTEGRITATE*, *m*) inscriptum *Iac. Sturmio* alumno suo, qui ecclesiastico se destinaverat ordini, quemque summis elogiis ornat *Erasmus n*) a. 1514. Hunc de Integritate libellum inter Wimphelingii facundissimos utilissimosque refert *Dupin. o*) Idem Knoblouch a. 1514 excudit *Io. Gersonis* Opera IV. Voll. in fol. *p*) An. 1516 *Trithemii Sermones ad Monachos;* an. 1525 *Lutheri Novum Testam.* fol. *q*)

MATTHIAS SCHURER. lat. *Granarius.* Selestadiensis, Artium fuit Magister, cuius *Grammaticam* a. 1501 impressit *Martinus Flach Iunior. r*) eiusdem consobrinus, qui etiam huius Schureri operâ a. 1502 primus excudit *Quartam Partem Io. Gersonis Operum. s*) curante *Wimphelingio.* Idem *Schurer* a. 1508 typographicam offi-

g) Idem l. c. p. 336.
h) Heyne in Proleg. ad Virgilium p. 185. edit. 1803.
i) Panzer Annalen d. deutschen Litter. p. 154.
k) Schoepflin Vind. typ. p. 49.
l) Schwarz Index librorum Sec. XV. impress. p. 4.
m) Rieggeri Amoen. Friburg. Fasc. II. p. 240 sqq.
n) in Epist. ad Wimphel. ap. Maittaire Vol. II. p. 61.
o) Biblioth. des Auteurs Eccles. T. XIV. p. 118.
p) Panzer Annal. typ. T. VI. p. 64 sq.
q) Extat in biblioth. Rev. Io. Georgii a Zabern, Argentorati.
r) Panzer T. I. p. 27.
s) Amoen. Friburg. Fasc. I. p. 74 sq.

cinam instruxit ipse, *t*) e qua insignis prodiit optimorum auctorum, inprimis antiquorum, numerus. Impressit a. 1510 *Io. Kaisersbergii Naviculam Fatuorum*, & a. 1514 *Erasmum de copia verborum ac rerum*, cui libro praefixa est *Erasmi Epistola de laudibus Argentoratensis reipublicae & sodalitatis literariae:* quae epistola responsoria est ad praemissam ibidem Wimphelingii epistolam. Utraque desideratur tam in Basileensi editione operum Erasmi a. 1540, quam in praestantissima, quam curavit Clericus. *u*)

Ex hac Erasmi ad Wimphelingium Epistola satis prolixa, pauca adiicere hic iuvat: *Licuit apud vos in una civitate cunctarum laudatarum dotes conspicere, Romanorum disciplinam, Atheniensium sapientiam, Lacedaemoniorum continentiam. Videbam monarchiam absque tyrannide, aristocratiam sine factionibus, democratiam sine tumultu, opes absque luxu, felicitatem absque procacitate .... Elegantissimam istam sodalitatem, hoc est Musarum & Gratiarum omnium collegium, diligentissime meis resalutes verbis: nominatim, incomparabilem iuvenem* IACOBUM STURMIUM, *qui maiorum imagines, morum illustrat integritate, iuventutem ornat senili morum gravitate, doctrinam haudquaquam vulgarem incredibili modestia mire condecorat.. Ad haec* MATTHIAM SCHURERIUM, *mihi hoc etiam chariorem, quod hunc quoque fertilis illa tot eruditorum hominum, tot felicium ingeniorum edidit Selestadium, cui & Beatum Rhenanum, & Ioannem Sapidum debeo, & ipsum denique Wimphelingium. Salutabis* HIERONYMUM GEBWILERUM, *unum omnium, quos adhuc viderim, humanissimum ...* SEBASTIANUM BRANT *tanti facio, sic amo, sic suspicio, sic veneror, ut magna quaedam felicitatis pars accessisse mihi videatur, quod illum coram intueri, coram alloqui, & amplecti contigerit.*

Huius *Matthiae Schurerii* agnatus fuisse videtur *LAZARUS SCHURER*, qui *SELESTADII* excudit inter alia a. 1520 *Erasmi Epistolam ad Albertum* archiepiscopum & cardinalem Moguntinum *de causa Lutheri*, datam Lovanii a. 1519 kal. Nov.*) Hanc Epistolam edi curavit Wimpheling, subiuncta Epistola ad Christophorum,

t) Schoepflin Vind. typ. p. 108 sq.
u) Utraque Epistola legitur ap Riegger Amoen. Frib. Fasc. II. p. 368 sqq.
*) Tom. III. Opp. Erasmi p. 400 sqq. edit. Basil.

Basileensem episcopum. In Epistola ad Moguntinum cardinalem inter alia scribit *Erasmus: Spectandi inprimis sunt huius mali fontes. Mundus oneratus est constitutionibus humanis. oneratus est opinionibus & dogmatibus scholasticis. tyrannide fratrum mendicantium. qui cum sint satellites sedis Romanae. tamen eo potentiae ac multitudinis evadunt. ut ipsi Romano Pontifici. atque ipsis adeo Regibus sint formidabiles... Perfricta fronte iam coeperant. omisso Christo. nihil praedicare. nisi sua nova & subinde impudentiora dogmata: de Indulgentiis sic loquebantur. ut nec idiotae ferre possent.... Ad ceremonias plusquam Iudaicas summa religionis vergebat... Haec. opinor. moverunt animum Lutheri. ut primum auderet se quorundam intolerabili impudentiae opponere. Quid enim aliud suspicer de eo. qui nec honores ambit. nec pecuniam cupit... Discruciabat hoc pias mentes. cum audirent. in scholis fere nullum sermonem de doctrina Evangelica.... immo in sacris concionibus minimum audiri de Christo. de potestate Pontificis. de opinionibus recentium fere omnia: totam orationem iam palam quaestum. adulationem. ambitionem. ac fucum prae se ferre. His imputandum opinor. etiamsi qua intemperantius scripsit Lutherus.* Idem *Lazarus Schurer* a. 1520 excudit *Wimphelingii medullam Pragmaticae sanctionis.* & *Gravamina nationis Germanicae. x*) item *Io, Sapidi Epigrammata. y*)

Renatus Beck, inter plura alia, anno 1515 impressit *Germaniam Aeneae Sylvii.* in qua editione plura, eaque egregia contineri, monet *Riegger.* *) inprimis *Wimphelingii* responsa ad *Aeneae Sylvii* confutationem *Gravaminum Germanicae nationis.* Additur distichon *Io. Guidae:*

Germanos vario describens ordine ritus
Silvius Aeneas. res. loca. templa. vias.
Toxica commiscet scriptis tibi Roma favendo.
Mellitis nostras & nimis ardet opes.
Lector adesto sagax. latet en sub melle venenum:
Laudamur. nostras ut tribuamus opes.
Sanctio concilii damnatur Basiliensis.
Quam iuri nixam Francia docta colit.

x) Rieggeri Amoen. Friburg. Fasc. III. p. 479-533.
y) Panzer T. VIII. p. 292.
*) Amoen. Friburg. Fasc. II. p. 430 sqq.

Matthias Hupfuff plures excudit libros, inter quos sunt *Baptistae Mantuani* Fastorum libri XII. *stanneis characteribus* a. 1520: in quibus, dicit *Wimpheling* in *Epistola* praefixa, z) nostra iuventus, vitam & bonos fines Divorum, absque fabellis, & alia scitu utilia, sine veneno a teneris annis possit imbibere.

Wolfgang Koepfel, graece *Cephalaeus*, agnatus fuit Wolfgangi Fabricii *Capitonis* (vernaculo nomine forsan *Koepfel*) Hagenoënsis, Theologiae, Iuris Can. & Medicinae Doctoris, qui ab a. 1513 Basileae concionator, ab a. 1520 Moguntini cardinalis cancellarius, tandem a. 1523 Argentoratum concessit, ubi eum Thomano collegio praepositum ultro constituerat Leo X. a) E Koepfelii prelo prodierunt: a. 1523. „*Matthaei Zellii*, parochi & „concionatoris cathedr. templi Argent. *Apologia* christiana super „articulis a fisci Episcopalis patrono ipsi oppositis, germanice, „in 4." — Anno 1524 impressit *Rituale Missae germanicae* sub titulo: „*Ordnung* und Innhalt *Teutscher Mess und Vesper*, so jetzund im „Gebrauch haben Evangelisten und christlichen Pfarrherren zu „Strassburg: mit etlichen neuen geschriftlichen Introit, Gebet, „Vorred oder Praefation und Canon, *vor und nach Aufhebung des* „*Sacraments* &c." sine loco & anno in 12. Illum ritum respiciunt verba *Gerbelii*: b) „Magna multitudine Rustici ad nos veniunt, audituri *germanicas* Missas." Fuerunt hae Missae Lutherani ritus. c) Ab illo Rituali differt aliud, quod sequenti anno 1525 impressit idem Koepfel sub titulo: „*Strassburger Kirchenamt* von Einsegnung der „Ehleute, vom Tauf und von des Herrn Nachtmal, mit etlichen „Psalmen, in 12." quod Rituale ad Zwinglii de S. Coena placitum est accommodatum.

Anno 1524 Koepfel porro excudit *Capitonis* libellum germanicum, quo monet, litem inter Lutherum & Carolstadium versari

z) Ibidem p. 476 sq.

a) Capitonis Responsio ad Tregarii Admonitionem ad Helvetios a. 1524. editam, fol. P. III.

b) in Centuria Epistolarum ad Io. Schwebelium, Biponti 1597. p. 30. ubi haec Epistola Gerbelii perperam refertur ad a. 1521.

c) Epist. Argentin. ad Lutherum a. 1524. die 23 Nov. in Kapp Nachlese nützlicher Reformations-Urkunden, Leipzig 1727. P. II. p. 645 & 650.

solum circa externa quaedam, & quaestiones curiosas magis quam graves. Eodem anno impressit etiam *Novum Testamentum*, graece, in 8. auctore adiutoreque *Capitone*, cuius *Institutiones Hebraicas* excudit anno 1525, quo etiam vulgavit *Homeri* Opera, graece, curante *Io. Lonicero*, qui hanc editionem inscripsit Melanchthoni. Eodem Lonicero curante excudit anno 1526 *Vetus Testamentum*, graece, III. Voll. in 8. *d*) Anno 1535 impressit *Lutheri Biblia* germanica integra. fol. *e*)

GEORGIUS ULRICHER, *Andlanus*, impressit, praeter alia plura, anno 1531, mense Septembri, *Confessionem fidei Tetrapolitanam*, i. e. quatuor civitatum, *Argentorati*, *Constantiae*, *Memmingae* & *Lindaviae*, oblatam Carolo V. caesari in comitiis Augustanis anni 1530. Hanc Confessionem, cuius auctores sunt *Bucerus* & *Capito*, *Germanice* prius excuderat Argentorati die 22 Augusti eiusdem anni *Io. Schweinzer*. Hac in Confessione docetur, in S. Coena, vi verborum Christi, *Manducate, hoc est corpus meum* &c. *Bibite, hic calix est sanguis meus*, verum illius corpus, verumque sanguinem, vere edendum bibendumque dari fidelibus Christi discipulis, in pabulum animarum, vitamque aeternam. *Scultetus* *) scribit: „Sane negari non potest, *Capitonem* & *Bucerum*, qui iam tum „nil nisi concordiam cum Luthero meditabantur, usque adeo „ambiguis de Coena Domini phrasibus in Confessione illa usos „fuisse, ut & in Helveticam & in Saxonicam trahi illae senten-„tiam possent.“ De eadem Tetrapolitana Confessione sic iudicat *Dupin*, *f*) Parisinus theologus Doctor: *Cet écrit est dressé avec beaucoup de subtilité & d'adresse. Chaque Article est soutenu par des passages de l'Ecriture sainte, & exprimé d'une manière capable d'imposer & de surprendre.*

WENDELINUS RIHEL, quem *Richelium* salutat *Conr. Gesner* a. 1548, *g*) genus suum a Basilea repetiisse videtur, ubi *Bern. Richel* typographus ab anno circiter 1471 inclaruit. Hic *Wendelinus*

d) Panzer T. VI. p. 106. 108. 109. & 110.
e) Catal. biblioth. Panzeri Norimb. 1807. P. II. p. 2.
*) in Annal. Evang. renov. Decade II. ad a. 1530. Heidelbergae 1620. p. 291.
f) Biblioth. des Auteurs Eccles. T. XIII. p. 116.
g) in Epist. ap. Maittaire T. III. p. 237.

Rihel Argentorati a. 1535 impressit *Biblia Lutheri* germanica integra, cum eiusdem Glossis, in fol., ad editionem Wittebergensem anni 1534. *) A. 1539 excudit *Calvini* Institutiones Christianae religionis.

Anno 1555 idem excudit *primam* editionem *Io. Sleidani de Statu religionis & reipublicae, Carolo V. caesare.* in *folio. Wendelino* paullo post extincto, eiusdem filii, *Iosias* & *Theodosius*, eodem adhuc anno 1555 excuderunt non tantum *secundam* Sleidani editionem *in folio*, ab ipso auctore passim correctam, sed etiam *primam* & *secundam* in forma *octava*. Principes quatuor editiones mox exceperunt plures aliae per *Rihelios* pariter excusae annis 1556, 1557, 1558, 1559, 1561, 1568, 1572 & 1576, partim in fol. partim in 8. quibus editionibus ab anno 1558 primum accessit Liber XXVI, compositus a Sleidano; *i*) qui obiit a. 1556. Hoc ipso anno prodiisse editionem, mutatam in Protestantium gratiam, perperam affirmavit *Anton. Varillas. Germanica* Sleidani versio, ipsius auctoris auctoritate a *Marco Stamlero*, Augustano, confecta, *k*) excusa est Argentorati anno 1557 in folio, in cuius titulo conspicitur illud ipsum typographei insigne, quod ornat Riheliorum latinas Sleidani editiones.

Reliquos illius aetatis Argentorati typographos, quos nomine tenus nosse sufficiat, enumerat *Schoepflinus*, *l*) quibus addimus *Iacobum Eber* a. 1485, *m*) & typographeum quod fuit in *Carthusia*

*) Panzer aelteste Augsburg. Bibeln p. 132.

h) Am Ende in Schelhorn Ergoetzlichk. Tom. II. pag. 440 sqq. & p. 674. & in Annotat. ad Sleidani editionem Francof. ad Moenum 1785. P. I. p. 13.

i) In prima Sleidani editione fol. 209 b. legitur: *si quis virginem matrem vitiasset;* uti etiam in omnibus supra citatis editionibus. In duabus vero per Theodosium Rihelium, iuniorem uti videtur, sine nota anni & circa a. 1612. excusis legitur: *virginem aut matrem.* Sub *virginis matris* nomine venisse b. Mariam, patet etiam ex eo, quod *Ad D. Virginem Matrem* Oden XI. Lyricorum suorum composuit Sarbievius, seculi XVII. Horatius.

k) Hanc Versionem, ignotam Hortledero, Schadaeo, Sagittario, asservat bibliotheca Rev. Io. Georgii a Zabern, Argentorati.

l) Vind. Typogr. p. 111.

m) Panzer T. I. p. 24.

extra Argentorati moenia *in colle beatae Mariae:* impressum ibi Missale ipsi vidimus.

HAGENOENSES OFFICINAE.

Argentorato subiungimus vicinam *Hagenoam*, quae typographicis officinis inclaruit, in qua etiam *literariae pubis moderatorem* se professus est *Hieron. Gebwilerus* a. 1527. *n*) *Hagenoae* iam ab an. 1489-1527 permultos libros, Sermones sacros fere omnes, impressit *Henr. Gran*, eorumque magnam partem sumtibus *Io. Rynmanni de Oehringen*, cuius quoque impensis excusa sunt Augustae Vindel. *Biblia Germanica* per *Io. Otmarum* a. 1507 in fol. *o*) Hic *Io. Rynmannus* in finali *Ryschei Orationis in laudem S. Yvonis* appellatur *characterum Venetorum opifex & ingeniosus & exercitatus in Augusta Vindelicorum. p*) Idem *Rynmann* in *Alberti M.* Notulis in Lucam, Hagenoae per Henr. Gran 1504 impressis, vocatur *archibibliopola*. Eius expensis Gran a. 1500 excudit *Acta & decreta Concilii Constantiensis. q*) & anno 1514 *Philelphi* & *Angeli Politiani* Epistolas; item *Wimphelingii* Diatr. de proba institutione puerorum in trivialibus, & adolescentum in universalibus gymnasiis. *r*)

Hagenoam circa annum 1516 officinam suam transtulit *Thomas Anshelmus*, Badensis eruditus, qui primum in patria urbe *PHORCA* vel *Pforzhemio* ab anno circiter 1502 libros excuderat, in his a. 1506 *Io. Reuchlini* sive *Capnionis*, Phorcensis, *Rudimenta Hebraica*, & *Wimphelingii Apologiam pro republica Christiana. s*)

IAC. WIMPHELING, insigne Alsatiae suique Seculi decus, obiit in patria Selestadio a. 1528. Amicum amissum lugens, mox

n) Idem T. VI. p. 112. num. 750.
o) Panzer aelteste Augsb. Bibeln p. 48 sqq.
p) Idem Annal. typ. T. VI. p. 132.
q) Idem T. I. p. 452.
r) Idem T. VII. p. 78 sq.
s) Idem T. VIII. p. 226 sqq. Riegger Amoen. Frib. Fasc. II. p. 267.

ſuo ſtylo depinxit *Eraſmus: t*) *Wimphelingius pontificii iuris peritiam cum theologiae ſcientia non infeliciter coniunxit, & alioque nullius honeſtae diſciplinae rudis, eloquentiae vero tantum praeſtitit tum in carmine tum in ſoluta oratione, quantum vel a theologo, vel ab illorum temporum homine poſſit requiri . . . Libellis editis & adoleſcentiam inſtituit, & ſacerdotes ad pietatis caſtimoniaeque ſtudium excitavit. Nec gravatus eſt, amore pietatis agere paedagogum aliquot magnae ſpei adoleſcentibus, quorum praecipuus, nunc inter nobiles, doctrina, ſinceritate, candore, prudentia nobiliſſimus* IACOBUS STURMIUS, *cuius conſiliis plurimum debet tota pene Germania, non ſolum inclyta civitas Argentoratum. Nec invidia caruit hominis ſancta libertas . . . . Hoc fatale totius eccleſiae diſſidium vehementer illum afflixit, ac tantum non ad vitae taedium adegit.*]

Eundem celebravit *Molshemienſis* Ieſuitarum *Academia* a. 1618 inter alia his verbis: *u*) „*Iac. Wimpheling* cum eſſet excellenti „vir ingenio atque virtute, morum illi integritas, tum aſſidua „eruditionis & literarum urbaniorum divinarumque tractatio, ac „diuturno rerum uſu quaeſita prudentia, animorumque Deo „lucrifaciendorum ardor, haud vulgarem apud poſteros autori„tatem conciliarunt.“

Hic *Wimpheling* in ſua *Apologia pro republica Chriſtiana*, pro ſancta ſua libertate, ſcribit Cap. XII. & XIII. *Non poſſum ego ſatis coniicere neque admirari, quidnam cauſae ſit, cur plerique noſtratium ſacerdotum, inſtar rudiſſimorum agricolarum, omnem ſcientiam, praecipue ſacram, tantopere ſpernant, abhorreant, atque flocci pendant . . . Inde eſt, quod cum poſt rem divinam, poſtque corporalem refectionem, nihil negotii, nihil actionis habent, indevoti, aridi, taedio & faſtidio pleni, vel in alea, vel in commeſſationibus, vel in reditibus computandis, vel in concubinis ſe delectant . . . . atque ita vivunt perturbati, ut infamiae propriae non pudeat. . . . tanquam veri & legitimi coniuges ſuis concubinis ad vitae ſuae finem cohabitent,*

t) in Epiſt. ad Vlattenum a. 1529. Tom. III. Opp. P. II. col. 1141. edit. Clerici.

u) in Panegyrico Molshemienſis Acad. per Iod. Coccium, Molshemii a. 1618. L. III. cap. 5. p. 176.

permittantque eis plenum curae familiaris atque domesticae dominium . . . Vix illud credet posteritas. parturientes domo non eiiciunt. sed in domibus parere & puerperas esse patiuntur: post puerperia vero convivia publica. laicorum more. faciunt. filios & filias susceptas nuptui postea tradunt. nuptias magnificas faciunt. nuptiis ipsi intersunt. pueros desponsatos dotant ac ditant. haeredes instituunt. matribus vero domos & reditus vitales emunt. Eadem de re idem *Wimpheling* in libello de *Integritate* cap. 4. praecedente anno 1505 scripsit ad *Iac. Sturmium*, qui clericorum ordini nomen dare tunc statuerat: *Paucis te hortabor. ut constantius in virtute castitatis perseveres. nec turbam multorum sequaris. qui omni pudore abiecto. non clam hoc carnis vitio peccant. sed suas meretriculas domi palam fovent. omnibus videntibus atque scientibus . . . . & in summis deliciis. pretiosisque vestibus educant suas concubinas de patrimonio Christi. confidentes nihilominus se sic posse salvari. Delicias si quas coniugati habent. ipsi quoque omnino habere volunt; onera vero & servitutem coniugatorum effugiunt.*

In *Apologia*, pergit *Wimpheling* Cap. XX. *Salubrius praedicaretur de fide. spe. charitate. de observantia praeceptorum Dei. de exterminandis vitiis. de plantandis virtutibus. de timendo & amando Deo. quam. illis praetermissis. sermones referri ad concitandum populum. ut offerat. ut in suis templis indulgentias quaerat. ut in fraternitates se inscribi sinat. ut posteriores sanctos enixe colat. Timendum est. multos multos simplices plus aequo confidere in fraternitatibus. confidere in quibusdam sanctis. quibus peculiariter serviunt. eos loquor qui praeceptum Dei nullum servant. & tamen vel rosaria alioquin laudanda dicunt. vel certis sanctorum vigiliis ab ecclesia non institutis ieiunant. in quibus certo sperant se salvari. Multa nova inveniuntur aucupia. Anna beata videtur propediem obscurare famam & gloriam filiae suae. ita nova delectant. Statuae sanctorum ligneae & lapideae. atque imagines in aris auro. argento. luminaribus & omni venerationis genere videntur plerisque in locis magis. quam eucharistia ipsa exornari. Apocrypha nonnulli fratrum non erubescunt pro canonicis scripturis enarrare. Audivimus his auribus fratricellum quendam ex mendicantibus. ordinis & domus suae magnificasse indulgentias. ut nihil supra: enumerabat absque omni pudore multos pontifices qui dedissent indulgentias ordini suo. quorum plerique trecentis aut quadringentis annis*

ordinis ſui principium anteceſſerunt. Sunt alii, qui in ſummis feſtivitatibus concionantes ſubſtituunt laicos qui eis ſcurriliter per quendam iocum contradicant, & quaſi per dialogum verba ſua impugnent & interrumpant: Mentiris, aiunt, tu craſſe monache, aut aliquid huiuscemodi ridiculum: fit tum in toto populo ingens cachinnus: his auribus id moeſtus audivi. Ita evangelicam veritatem convertunt in fabulas, & chriſtianam maturitatem transferunt in ludos ſcenicos atque theatrales.

Et Cap. XXXV & ſq. *Dolendum certe eſſe, clamant plerique laici, in tanta copia cleri, in tantis eccleſiarum divitiis, inter triginta, ſexaginta, immo octoginta praebendatos, qui vel in collegiatis vel in cathedralibus perſaepe reſident eccleſiis, (quorum magna pars curatas poſſidet, & plerique non unam ſed duas ſed tres habent,) non vel unum inveniri poſſe, qui in extrema neceſſitate, etiamſi fides Chriſti peritura ſit, vicem ſuppleat vel plebani vel concionatoris, quique feſto die cancellos aſcendat, Evangelium dicat, & breviſſimam doctrinam ex nobili philoſophia vel ſacris literis ad dimidiae horae intervallum addat. Aſpirant ferme omnes ad pingues eccleſias poſſidendas, putantes forſitan, ad animarum curam regendam ſufficere quod decimas ad ſummum quaſi per licitationem collocent, anſeres meſſium una devorent, advenientes in urbem cruces & reliquias excipiant, & ad templum maius conducant. His exercitiis omnes decimas, omnes proventus, quos ad unguem a pauperibus ſubditis exigunt, compenſare ſe poſſe arbitrantur.*

De *Iac. Wimphelingio* eiusque ſcriptis uberius agit *Riegger* in *Amoen. Friburg.* Faſc. II. integro, ubi etiam ad pag. 166. exhibetur illius Epitaphium, Seleſtadii in templo maiori poſitum: *IACOBO WIMPHELINGIO THEOLOGO, qui iuventutem ad meliora ſtudia, ſacerdotes ad vitam ſanctiorem, ad optimas leges & inſtituta, respublicas, editis etiam monumentis invitare, exhortari, revocare nunquam ceſſavit, IAC. SPIEGEL ac IOAN. MAIUS fratres, Caeſ. Aug. ſecretarii, avunculo b. m. munus extremum perſolverunt. Vixit annos LXXVIII. m. III. d. XXI. Ob. XVII. Kl. Dec. MDXXVIII.*

Phorcae Anshelmus a. 1509 & 1511 impreſſit *Wimphelingii Elegantias maiores* & *Rhetorica*. Eodem vero anno 1511 officinam ſuam

transtulit *TUBINGAM*, ubi hoc anno impressit *Mantuani Bucolica*. seu adolescentiam. A. 1512 *Evangelium Iohannis*, cum *carminibus aureis Pythagorae* &c. graece & latine. A. 1513 *Franc. Philelphum de educatione puerorum*, & *Defensionem Io. Reuchlini* contra calumniatores suos Colonienses. An. 1514 *Clarorum virorum Epistolas ad Reuchlinum*. A. 1516 *Io. Naucleri* I. U. D. & Tubingensis academiae, a. 1447 conditae, Rectoris primi, *Chronicon* omnium gentium usque ad a. 1500, a Phil. Melanchthone retextum auctumque: *x*) praefatus est *Io. Reuchlin*; continuavit usque ad annum 1514 Nic. Baselius.

HAGENOAE Anshelmus a. 1517 excudit *Io. Reuchlinum de arte cabalistica*. An. 1518 *Acta Iudiciorum inter Iac. Hochstraten & Io. Reuchlinum*, item *Franc. Irenici*, Ettlingensis, *Exegesin Germaniae* sumptibus *Ioannis Kobergeri*, Norimbergensis. A. 1519 recudit *Illustrium virorum Epistolas ad Io. Reuchlinum*, Phorcensem. Anno 1521 *Hesychii Lexicon*, in fol. & *NOVUM TESTAMENTUM*, *graece*, in 4. curante *Nic. Gerbelio*, Phorcensi, ICto, Historiarum professore Argentorati, Lutheri amico. Impressit quoque varios Melanchthonis, aliorumque libros, linguas & humaniora spectantes. *y*)

IOANNES SECERIUS, Lauchensis, eruditus, Hagenoënsium typographorum celeberrimus, Graecis inprimis editionibus inclaruit. Eius libellum de *Animae praeparatione in extremo laborantis* excudit *Anshelmus* sine indicio anni. *z*) Secerius, qui a. 1519 *formulis Thomae Anshelmi* recuderat *Evang. Iohannis* & aurea carmina *Pythagorae*, graece & latine, ab a. 1523 ex sua officina, quam saepius *Neacademiam* vocat, quamplurimos emisit libros, Phil. Melanchthonis praecipue, Lutheri, Brentii, Bugenhagii, aliorumque. *Graece* excudit anno 1526 *Luciani* Opera. Anno 1530 *Polybium* & *Theocritum*. A. 1531 *Isocratem*. A. 1534 *Sophoclem & Hesiodum*. *a*) A. 1535 *Confessionem Augustanam*.

A. 1528 e *Secerii* prelo, editore *Hiobo Gast*, prodiit libellus de

x) Fabricii Bibl. med. & inf. Latin. Lib. IX.
y) Panzer T. VII. p. 83-91.
z) Ibid. p. 116.
a) Panzer T. VII. p. 96 sqq. & T. IX. p. 472.

Eucharistia ex Cypriano, Hilario, Ambrosio, Augustino, Hieronymo, Isichio & Pascasio conflatus, nuper ex pervetusto codice depromptus. *b*) In hoc libello plura *Pascasii* loca prorsus aliter sonant quam in Pascasii codice Sorbonico, ex quo eundem edidit *De la Bigne c*) a. 1575, & in iis codicibus quos adhibuit *Sirmond* a. 1618, e quibus diversitatibus plures refert *Chevillier: d*) unde *Pascasii* textum de industria corrupisse, accusantur *Secerius* & *Gastus*.

E *Secerii* quoque officina prodiisse creduntur duo libelli *Michaëlis Serveti*, qui sine indicio typographi sunt emissi, sed cum nota loci & anni; scilicet: *De Trinitatis erroribus Libri VII, per Michaëlem Serveto, alias Reves ab Aragonia Hispanum. Hagenoae* a. 1531. 15 foll. in 8. & *Dialogorum de Trinitate Libri duo. De iustitia regni Christi capitula quatuor, per Michaëlem Serveto* &c. *Hagenoae* an. 1532. 6 foll. in 8. Utrumque libellum excusum esse sumptibus *Conr. Rous*, bibliopolae Hagenoënsis, Argentorati sedentis, ipse fassus est *Servetus* in actis iudiciariis. *f*) Recusi sunt hi libelli ante hos centum quinquaginta fere annos in Germania, iisdem ferme typis, charta vero paullo magis alba ac tenera.

PETRUS BRUBACH Hagenoae impressit a. 1535 *Luciani* opera, graece. A. 1536 *Trithemii Epistolas familiares*, & *Lutheri catechismum*, latine.

VALENTINUS KOBIAN a. 1536 excudit *Erasmi Roterod.* Carmen in sanctissimos in Anglia martyres, *Rofensem episcopum ac Thomam Morum*, editore *Hieron. Gebwilero*, in 4. A. 1537 recudit *Augustanam Confessionem* cum eiusdem *Apologia*. *g*)

b) Panzer T. VII. p. 100.
c) Biblioth. Patrum T. IV. cf. Tom. VIII. in fine.
d) Hist. de l'Imprim. de Paris p. 213 sq.
e) Panzer T. VII. p. 109 sq.
f) Mosheim Anderweitiger Versuch einer Ketzergesch. p. 18 sq. & p. 309.
g) Schoepflin Vind. Typ. p. 116.

Ge. Husner, uti supra pag. 73 vidimus, a. 1473 & 1476 libros se excudisse professus est *litteris sculptis ex aere*, quibus illum innuere literas manu sculptas, non fusas, *Schelhornius h*) aliique opinati sunt. Fusos vero typos indigitare Husnerum bene intellexerat *Schwarz. i*) Etenim *Petrus Schoeffer*, qui Trithemium docuit, se invenisse faciliorem modum *fundendi* characteres, *Gutenbergium* ac *Faustum* vocat eximios *sculpendi* in arte magistros, quibus se praestitisse dicit *sculpendi* lege. *) *Venetiis* a. 1487 Typographi quidam socii in Praefat. ad *Baldum in Codicem*, fusis typis impressum, monent, excusum illum esse *litteris divine sculptis ac conflatis ingenio acutissimi Gallici Nic. Ienson. k*) Ipse hic Ienson se vocat *librorum exsculptorem* in *Luctu Christianorum*, quem libellum fusis typis elegantissimis a. 1471 Venetiis excudit. *l*) Pluribus in libris, quos fuso charactere excusos esse fatentur omnes, legitur: *Sculptum. Insculptum est.* vel *Sculpsit hoc opus*. Sic in *Tortellii Commentariis Grammaticis* Romae a. 1471 per *Ulr. Hahn; m*) sic in *Poggii Facetiis*, Norimbergae impressis, in quibus legitur: *Hoc opus sculpsit Frid. Creusner sua fabrili arte a. 1475. n*) cum tamen evidens sit, monente *Schwarzio*. *o*) illud fusis typis esse excusum. Sic *insculpti* pariter appellantur tam *Codex Iustiniani q*) a. 1475 per Sensenschmidium *p*) & an. 1488 per Kobergerum impressus, quam *Lombardus in Psalterium* anno 1478 per Frisnerum & Sensenschmidium excusus. *r*)

Tribus in libris a. 1488, 1489 & 1494 *Basileae* & *Argentorati*

h) ad Quirinum p. 264.
i) Vid. supra p. 73.
*) Vide supra pag. 43.
k) Seemiller Incunabula typogr. bibliothecae Ingolstad. Fasc. III. pag. 76. Panzer T. III. p. 238.
l) Panzer T. III. p. 75.
m) Panzer T. II. p. 429.
n) Ibid. p. 174.
o) De Origine Typogr. P. III. p. 18.
p) Panzer T. II. p. 173.
q) Ibid. p. 205.
r) Ibid. p. 179.

fuſo charactere, prorſus aequali, impreſſis legitur: *Noſcere forte voles quis ſculpſerit hoc opus aere. preſſerit has chartas* &c. ſcil. in *Repertorio Iuris Io. Milis* anno 1488, & in *Io. Gerſonis operibus* anno 1489 tribus Voll. Baſileae ex prelo *Nic. Kesleri; s*) item in ea *Io. Gerſonis operum* editione, quam Argentorati a. 1494 excudit *Martinus Flach. t*) Hanc Flachi editionem *Meermannus. u*) ſibi non viſam, ex *Maittairio x*) citat, & ex illo finali probare conatur, ſculpto charactere adhuc a. 1494 uſum eſſe Flachium: ipſum vero librum ſi inſpexiſſet vir doctus, plane convictus fuiſſet, veterum Typographorum ſtylo, *ſculptum aere* opus denotare fuſis typis impreſſum.

Sic Argentorati quoque *Ge. Huſner* a. 1473 *Durandi Speculum* impreſſit *exſculptis aere litteris*, & a. 1476 *Nideri Praeceptorium divinae Legis* excudit *litteris ſculptis ex aere*, quae ipſiſſima Huſneri verba repetiit *Io. Wiener* a. 1479 Auguſtae Vindel. in ſua eiusdem Nideri editione. *y*) Illa aetate praeter fuſos typos ſculpti quoque ſi fuiſſent adhibiti, in excuſis fuſo charactere libris Typographi haud eſſent profeſſi, *ſculptis* typis, qui minoris ſunt dignitatis, illos libros eſſe exaratos, nec inferioris ordinis typographum ſe prodidiſſet Huſnerus, cuius typos pro fuſis, prorſusque aequalibus habet ipſe *Fournierius. z*) Fuſos autem typos veteres typographi *ſculptos* appellaſſe videntur ex eo, quoniam in ſculpendis archetypis praecipuum poſitum eſt typographicae artis momentum, uti ſuperius pag. 22 obſervatum eſt. Primis vero inventae artis temporibus ipſi typographi ſculpſerunt archetypos, typosque fuderunt.

Palmarium quidem pro ſculptis typis, proprie ſic dictis, argumentum multi quaerunt in ea inaequalitate, quae in iisdem apparet alphabeti literis. Haec ipſa tamen literarum diſcrepantia oc-

s) Ibid. T. I. p. 162. & Seemiller Incunab. typogr. Faſc. III. p. 166. coll. p. 103.
t) Vide ſupra pag. 74.
u) Orig. Typ. P. I. p. 56.
x) Tom. IV. p. 571.
y) Vide ſupra pag. 73.
z) Origine de l'Imprim. p. 65. & Remarques typogr. p. 61.

currit quoque in iis libris, quos summa linearum plurimarumque literarum aequalitas, totiusque impressionis nitor, fusis typis excusos esse demonstrant.

In ipso *Catholico* anni 1460, *mira patronarum formarumque concordia*, i. e. *fusis* typis, impresso, *a*) quandam inter easdem alphabeti literas inaequalitatem perspexit *Duvius*, instituto cum aliis viris oculatis diligenti examine, uti monet *Meermannus*. *b*) Per *patronas* in illo Catholico intelligi paginas integras; per *formas* vero indigitari corpora typorum, quae iusta ad unamquamque literam proportione fusa sunt, solus fingit *Meermann*.

Eandem literarum inaequalitatem produnt *Biblia Latina* missali charactere minori excusa, *c*) quae Petri Schoefferi typis impressa, Moguntiaeque anno 1456 rubricata esse iam constat. In his Bibliis elegantissime excusis, observante Rev. *Husnagelio*, *d*) primo quidem intuitu summa apparet literarum aequalitas; ast si attentius easdem inspexeris, quaedam pellucet inaequalitas, ex. gr. litera *e* in tertia & quarta Geneseos linea sexies ita occurrit, ut una alteri vix perfecte aequalis sit, immo illarum quaedam manifestam varietatem produnt; imposita literae *i*. puncti loco, circelli pars, modo crassior modo tenuior apparet: puncta, quadrate formata, sunt inaequalia. Ipsa tamen haec Biblia *fusis* typis, iisque *perfectioribus* excusa esse, contendit ipse *Fournierius*. *e*)

Eadem literarum inaequalitas cernitur etiam in *Psalterio* anni 1457; *) quo splendidissimo in opere *De Boze f*) & *Fournier g*) literarum inaequalitates animadverterunt praecipue in litera *e*. quam modo crassiorem modo tenuiorem, modo altiorem modo

a) Vid. supra pag. 37.
b) Orig. Typogr. P. II. p. 98.
c) Vid. supra pag. 28.
d) in Etwas zu Masch Biblioth. Sacra, Ienae 1804. apud Loeffler Magazin für Prediger B. I. Stück 2. p. 33.
e) in Fréron Année litteraire 1764. p. 183 & 189.
*) Vid. supra pag. 33 sq.
f) Mémoires de l'Acad. des Inscr. & Belles-Lettres T. XIV. p. 257.
g) Origine de l'Imprim. p. 231.

breviorem invenerunt; itemque impositum literae *i* punctum, vel acutum vel circellum, diversimode figuratum. Ex hac in quibusdam literis varietate, reliquae licet omnes miram aequalitatem praeferant, sculptis e ligno typis excusum esse Psalterium colligunt *De Boze. Schwarz. h*) *Fournier.* & *Schelhorn. i*) *Schoepflinus*, qui *Psalterium* hoc praedicat typographiae literis *sculptis* exercitae & ad summum elegantiae & perfectionis gradum perductae incomparabile monumentum, *k*) illius typos subtili arte sculptos esse dicit vel e *ligno* vel *ex aere. l*) Fusis vero typis exaratum esse idem Psalterium, iudicant *Mercier. m*) *Zapf. n*) *Lambinet. o*) & *Fischer. p*) qui monet, vel nostra aetate, qua ad summum perfectionis gradum evecta est sculpendi ars, sculptis e ligno typis haud effici posse eam, quae splendet in hoc Psalterio, literarum aequalitatem atque nitorem.

Consuetudines Feudorum supra pag. 71 recensitas, *Schwarzius q*) monet excusas esse iisdem typis *inaequalibus*, quibus impressa sunt *Biblia Latina*, charactere non quidem missali, sed *grandiori*, quem sic describit: „Literae non sunt sibi invicem satis aequales, adeo „ut si, exempli causa, litera *o* in una pagina tricies pluriesve oc„currat, modo crassior appareat modo tenuior, modo paullo „altior modo brevior, modo fere oviformis modo rotundior, & „quae sunt aliae varietates. Unde facile colligas, istos typos non „certae formae vel matrici fuisse infusos, sed ex *ligno sigillatim* „*sculptos. Glossae* etiam in margine sunt additae, quae vero for„tasse magis *fusis ex aere*, sed tamen & his satis rudibus, quam „sculptis ex ligno typis excusae videntur.“ Iam vero si hae Glossae, minutioribus quippe typis impressae, ipso fatente Schwarzio, ligneis typis excudi haud potuerunt; eiusdem libri Textus fusis

h) De Origine Typogr. P. II. p. 55.
i) De Antiquiss. Bibliorum latin. editione p. 29.
k) Vindiciae typogr. p. 32.
l) in Differt. Gallica in Mémoires de l'Acad. des Inscr. & Belles-Letrres T. XVII. anno 1741. p. 771.
m) Supplém. à Marchand p. 17.
n) Buchdruckergesch. von Mainz p. 10.
o) Recherches sur l'Orig. de l'Imprim. p. 136.
p) Essai sur Gutenberg p. 46.
q) in Indice novo librorum Sec. XV. impressorum p. 31 sq. coll. p. 28.

quoque ex aere typis excusus videtur: nec obstat notata illa Schwarzio literarum praesertim in litera *o* inaequalitas; haec enim ipsa occurrit quoque in libris a Petro Schoeffero post a. 1470 fuso charactere impressis, scil. in Sexto Decretalium Bonifacii VIII. a. 1476, & in Turrecremata super Psalterium.

Indicia illa quae pro ligneis mobilibus typis *Fournierius*, pro sculptis e metallo *Meermannus* affert, deprehendi in omnibus fere vetustis libris, qui evidenter fusis typis Moguntiae sunt impressi, monet *Heineckenius*. *r*) Supra memoratum *Nideri Praeceptorium* a. 1476 Argentorati per Husnerum *fusis* typis excusum esse, ipse contendit *Fournierius*; *s*) attamen in hoc Husneri opere literas inaequales animadverterunt *Schoepflinus* *t*) & *Duvius*, *u*) unde illos typos, non fusos sed sculptos esse existimarunt. Quamvis in eo consenserint *Schoepflinus* & *Fournierius*, ut *fusis* in literis nullum inaequalitati locum esse crederent; mira tamen inter eos nata est circa *Eggesteinii* & *Husneri typos* concertatio. Hos quidem artifices sculpturam typorum eo denique perduxisse dicit *Schoepflinus*, ut dubius subinde haeserit ipse, fusis an sculptis typis vere sint usi. *x*) Idem monet, in typis GRATIANI per Eggesteinium anno 1471 impressi, *notabilem* conspici *dissimilitudinem*, ex qua patere dicit, illos typos fuisse *sculptos*: *y*) mox vero addit, eundem Gratianum *ligneis literis* esse impressum; *z*) quod affirmare Schoepflinum nec animadvertit *Baerius*, *a*) nec in sua ad eundem Responsione *Fournierius*. *b*) Hic contra Schoepflinum asseruit, *c*) Eggesteinii *Gratianum* typis *fusis* esse excusum, quod primo statim intuitu apparere dicit omnibus qui vel mediocri artis cognitione sint imbuti; contenditque, in hoc Gratiano literas esse

r) Idée p. 446.
s) Origine de l'Imprim. p. 65. & Remarques typogr. p. 61.
t) Vindiciae Typogr. p. 49.
u) teste Meermanno Orig. typ. P. I. p. 36.
x) Vindiciae Typogr. p. 50.
y) Ibidem p. 44.
z) Ibidem pag. 47.
a) in Lettre sur l'Origine de l'Imprim. p. 30,
b) in Remarques typogr. p. 54.
c) in Observations sur les Vind. typ. p. 13.

N

ex omni parte aequales; quamvis aliâs idem Fournier literarum inaequalitates lynceo oculo venari soleat. *d*) Tandem addit, fusos in Gratiano typos invicte probari minuto *Glossae*, textum cingentis, charactere: ibi enim literas minutissimas, quales sunt *i*, sigillatim sculptas esse, quod ipsum e *ligno* fieri nunquam potuerit. *e*) Gratianum hunc constat excusum esse typis Gothicis crassioribus, quales nunquam antea adhibuerat Eggesteinius. Hos in Gratiano typos recentem prodere fabricationem, observat quoque *Fournier*; ipsoque iudice, ad tantae molis opus excudendum plus centum millibus typorum opus fuisset; nec credibile eidem videtur, Eggesteinium anno 1471, quo fusorum typorum usus ubivis iam invaluerat, tot typorum millia manu sculpi curasse, summo cum temporis, laboris ac sumptuum dispendio. *f*) Addit *Fournierius*, *g*) Gratianum illum affabre excusum esse, difficilique mechanemate textum cingi Glossis; unde facile intelligi possit, hoc opus haud esse primum ex iis quae fuso charactere exaravit Eggesteinius.

Minor quidem, quam in hoc Gratiano, apparet literarum ac linearum aequalitas in Eggesteinii *BIBLIIS* a. 1468 & post impressis, supra pag. 62 recensitis. In his enim literae non tantum notabilem produnt inaequalitatem, sed insuper lineam haud exacte servant, aliae aliis vel altius vel depressius sunt positae, nec aequali semper intervallo disiunguntur; quin literarum binarum aut plurium is crebro fit nexus, ut unum videatur elementum. Quae omnia pro certis typorum e ligno sculptorum indiciis reputat *Fournierius*. *h*)

Ille vero binarum aut plurium literarum nexus crebrius occurrit quoque in *Ciceronis Officiis* a. 1465, quae fusis typis a Fausto & Schoeffero excusa sunt: cuius nexus specimina exhibet *Maittaire*. *i*) Literas lineam haud exacte servantes, aliasque aliis

d) Origine de l'Imprim. p. 165.
e) in Observations sur les Vindiciae typogr. p. 13.
f) Remarques typogr. p. 49 sqq.
g) Observations sur les Vindiciae typ. p. 28.
h) Origine de l'Imprim. p. 191 sqq.
i) Tom. IV. p. 275.

altius vel depressius positas *Clement k*) animadvertit quoque in *Speculo Historiali Vincentii Bellovacensis* cum nota anni 1474, III. Voll. in fol., quod impressum est Augustae Vindel. in San-Ulricana abbatia, *l*) & quidem *stanneis characteribus*. teste *Guil. Wittwero*. coaeve eiusdem monasterii monacho, apud Rev. *Braunium*, *m*) qui monet, stanneos hos typos esse Antonii Sorgii, qui duobus in libris anno 1476 & 1477 ab ipso impressis profitetur, *stanneos characteres* a se adhibitos esse. *n*) Sculptis e ligno typis excusa esse illa Eggesteinii Biblia, ipse in dubium vocare videtur *Fournierius*. *o*) quum alibi dicit: *Cette édition-là est proprement imprimée: les lettres sont si correctes, qu'elles annoncent plutôt la perfection de l'Art que son commencement. Je doute même que dans le temps où nous vivons, l'on pût en faire autant, & si bien, avec des caractères mobiles de bois.*

Ligneis solutilibus typis ullum unquam librum fuisse excusum, e veteribus memoravit nullus. *Trithemius p*) narrat, Gutenbergium ac Faustum, post impressum typis fixis *Catholicon*, ut haberent typos quibus plus uno libros excudere possent, invenisse *matrices*, in quibus *aeneos* vel *stanneos* characteres fundebant, pluribus libris imprimendis inservientes: unde colligitur, ante inventos typos fusos Gutenbergium & Faustum haud habuisse typos e ligno vel metallo sculptos, quibus plures libros potuissent excudere. *Io. Nauclerus q*) scribit: „Circa annum Domini 1440... ars impres-„soria *stanneis formulis* apud Moguntiam Germaniae civitatem „primum coepit." — *Hieron. Gebwilerus r*) memorat, artem *stanneis calamis* excudendi libros anno 1447 Argentorati esse inventam. *Arnoldus Bergellanus s*) docet, Io. Gutenbergium non ligneos solutiles, sed *metallicos* typos manu sculpere tentasse, sed sine fructu:

k) Biblioth. curieuse T. IV. p. 76.
l) Denis Supplem. Maitt. p. 786. & Panzer T. I. p. 104.
m) in Notitia P. I. Praefat. p. IX.
n) Braun ibid. P. I. p. 178 sq. Panzer T. I. p. 107 & 108. num. 37.
o) Differt. sur l'art de Graver en bois p. 39.
p) Vid. supra pag. 17 & 23.
q) Vid. supra pag. 91. & Wolf T. I. p. 319.
r) Vid. supra pag. 55.
s) Versibus 45 sq. & 101-106. ap. Wolf T. I. p. 16 & 19.

Clarus Iohannes *en* Gutenbergius *hic est,*
A quo ceu vivo flumine manat opus....
Neque erat ulla dies Eoas vecta sub auras,
Qua non sit vigili littera sculpta manu.
Atque notas vocum *finxit de duro* orichalco,
Nobile Phoenicum quas dedit ingenium.
Altera sed rebus succrescit cura renatis.
Inventis uti mens generosa nequit.

Mari-Angelus Accursius scripsit: *t*) *Io. Faust primus excogitavit imprimendi artem typis aereis, quos deinde plumbeos invenit.*

Relatio de Typographiae inventione, post annum 1620 concinnata, *u*) quae primarias Gutenbergii in arte invenienda partes tribuit Fausto, secundarias autem Fausti Gutenbergio adscribit, docet, *x*) Io. Faustum fixo charactere excudisse Donatum, post, *dissectis asseribus, probos characteres retinuisse, detritorum loco formasse novos,* atque ita *singularum literarum compositionem* exorsum esse; hoc ipsum autem non sine maximo labore fieri potuisse, lenteque admodum processisse, ac preli quoque respectu haud levia nata esse novae arti impedimenta; eamque rem omnem *gravi aerumnae ac melancholiae* immersisse Faustum: ex eiusdem vero ministris *Petrum Schoefferum* invenisse modum, quo literae insculperentur archetypis & funderentur; *integrique alphabeti archetypos* clam incisos, simul cum matricibus obtulisse Fausto, qui gaudio exsultans, filiam suam Christinam Schoeffero in matrimonium promiserit, & paulo post re ipsa collocaverit. Illa Fausti *gravis aerumna ac melancholia* satis videtur innuere, sculptis illis e ligno solutilibus typis nullum librum imprimere potuisse Faustum, quod ipsi demum contigerit, postquam inventus fuit modus fundendi typos e matricibus, quem non *invenisse,* sed *perfecisse* Petrum Schoefferum, ex ipsius ore refert Trithemius, uti supra vidimus pag. 17 sq. & 23 sq.

t) Vid. supra p. 25.
u) Vid. supra pag. 19.
x) ap. Koehler Ehrenrett. Gutenbergs p. 90 sq. Germanicum textum originalem duobus in locis minus curate exprimit Versio Latina apud Wolf T. I. p. 468.

Ad infructuosa igitur artis tentamina referendi videntur *lignei* illi *typi, funiculo colligati*, quos cum asseribus & primordiis artis cum cura asservasse *Io. Faustum*, amicisque quandoque monstrasse, tradit eiusdem Relationis auctor. *y*) *Serarius* a. 1604 Moguntiae scribit: *z*) „Adiiciantur *primi* huius artis *modioli*, quos antiqua „hic domus, quae in cerasimi horti platea, *Seuleffel* vocatur, „custodit; quosque mihi nuper *Albinus* typographus monstrabat." Eosdem vero *modiolos* Moguntiae haud amplius reperiri monet *Mallinkrot a*) a. 1640. *Paulus Pater b*) anno 1710 refert: „*Ligneos* „*typos*, ex buxi frutice, *perforatos* in medio, ut zona colligari „commode possint, ex *Fausti* officina reliquos, *Moguntiae* aliquan„do me conspexisse memini." Hi typi lignei, Paulo Patri quondam visi, ex iis *perforatis* esse videntur, quibus, teste *De Bircken*, *c*) Moguntiae anno adhuc 1668 donari, tanquam nummo lustrico, solebant recens creati magistrorum artis sodales, in illis quas *Postulatum* vocant caerimoniis. Hinc etiam derivandi videntur illi typi lignei perforati, quos ante hos annos Moguntiae adhuc possedisse *Alesum* typographum, refert *Fischer*. *d*)

Argentorati quoque *Specklinus*, *e*) qui obiit a. 1589, testatur se vidisse *ligneos typos perforatos*, ut funiculo colligari possent, quos e primi inventoris Io. Mentelii officina reliquos fuisse dicit, additque, eosdem haud amplius superesse. Venetiis quoque *typos perforatos* se vidisse, *Rocha f*) memorat a. 1591, monetque, primos artis inventores consuevisse characteres connectere filo, in literarum foramen immisso; cui etiam causae tribuit rudem impressionem illius Donati, cui adiecta est nota *Accursii* manu scripta, quae docet, impressum esse hunc Donatum a. 1450. *g*) Solutiles vero Gutenber-

y) ap. Koehler ibidem p. 91.
z) L. l. c. 37. ap. Wolf T. I. p. 268.
a) De Typographiae ortu ac progressu, Coloniae 1640. ap. Wolf Tom. I. p. 684.
b) De Germaniae Miraculo, Lipsiae 1710. ap. Wolf T. II. p. 719.
c) Oestreichischer Ehrenspiegel. Nürnb. 1668. p. 527.
d) Essai sur Gutenberg p. 39.
e) ap Schilter Anmerk. zu Iac. von Koenigshofen Chronik p. 441.
f) in Append. ad Biblioth. Vaticanam Romae 1591. ap. Wolf T. I. p. 299 sq.
g) Vid. supra pag. 25.

gii typos iam a. 1438 Argentorati marginibus vel ſepimentis & *cochleis* fuiſſe conſtrictos, docet Documentum anni 1439. *h*) Cui igitur bono artis inventores perforaſſent ligneos illos ſcapos tenues, cum praeſenti eosdem diffringendi periculo, ut, praeter neceſſitatem, eosdem iungerent funiculo, qui correctionem errorum typothetae reddidiſſet impeditiorem? Innumeri illi ſolutiles typi, ſi ferreo tantum filo fuiſſent iuncti, eorum permulti, vi preli ceteris altius depreſſi, ſui notam chartae haud impreſſiſſent. E ſupradictis patere videtur, perforatos illos typos, qui Moguntiae olim, Argentorati & Venetiis ſunt viſi, excudendis ibidem libris haud inſerviiſſe, minime Venetiis, ubi ſtatim typis fuſis, iisque nitidiſſimis, libros imprimere coepit *Ioannes de Spira*. Germanus, anno 1469, vel iam anno 1468, uti inferius ſuo loco videbimus.

Sculptis e ligno typis libellos eſſe impreſſos, primus docuit *Adrianus Iunius* in *Batavia* ſua, quam abſolvit anno 1575, quaeque lucem vidit Lugduni Batav. a. 1588. *i*) Ibi narrat, quendam *Laurentium*. *Ioannis* filium, qui Harlemi habitavit ante annos 128, ibique geſſit munus *aeditui*. quem *Koſter* vel *Küſter* vernaculo ſermone appellant, literarum typos e *fagino cortice* formaſſe, iisque impreſſiſſe *Speculum noſtrae ſalutis* cum tabulis figuratis; poſtea *faginas* formas *plumbeis* mutaſſe, has deinceps feciſſe *ſtanneas*. Contra vero *Petrus Scriverius* Harlemi anno 1628 ſcripſit: *k*) „Typos, quibus impreſſum fuit Speculum, non fuiſſe *ligneos*. ſed „*plumbeos* aut *ſtanneos*. quamvis infabre factos, luce meridiana „clarius apparet, adeo ut, ſi plura afferremus, ſoli lucem affun„dere conaremur. Concedo, penitus eſſe incredibile, ſingulos ty„pos fuiſſe ligneos, ex arborum corticibus factos; quippe qui ad „ferendam impreſſionis vim minus idonei fuiſſent.“ De *Speculo Salvationis* mox plura inter Belgii typographea dicturi ſumus.

Inventarum *matricum* epocham intra annos 1450 & 1455 poſuit *Schoepflinus*. *l*) Ab eius ſententia *Schelhornius m*) primum quidem

h) Vid. ſupra pag. 11.
i) ap. Meermann P. II. p. 89 ſqq. & P. I. p. 72.
k) in Laure-crans, ap. Wolf T. I. p. 415.
l) Vind. typogr. p. 33.
m) in Diatr. ad Quirinum p. 17.

discesserat, inventionemque *matricum* retulerat in annum circiter 1458 vel 1459, quo prodiit *Rationale Durandi.* quod pro primo libro typis fusis excuso habuerunt *Schoepflinus n*) aliique. Huic opinioni *Schelhornius o*) superstruxerat aliam, his verbis: „Annoto, quod hactenus nemini observatum opinor, duas operariorum & tironum migrationes e typographeo Moguntino contigisse; *unam* videlicet A. 1455 eorum, qui a partibus Gutenbergii stabant, acerbe ferentium, eum a Fausto iniuria apparatu suo typographico spoliatum; *alteram* A. 1462, Moguntia ab Adolpho electore per insidias capta, direpta & misere vastata. Ab *illis* modus libros typis *ex ligno vel aere sculptis* excudendi in alias urbes propagatus; ab *his* typi *fusiles* usurpati.“ Priorem illam operariorum e Moguntino typographeo migrationem iam observaverat supra citatus Auctor *Relationis de Origine Typographiae. p*) pariter ac *Marchand. q*) Schelhornii opinionem amplexus est *Meermannus. r*)

Sed detectis *Literis Indulgentiarum Nicolai V.* quae anno 1454 typis fusis excusae sunt, *s*) *Schelhornius t*) professus est, solido niti fundamento *Schoepflini* coniecturam, qua matricum inventarum epocham intra annos 1450 & 1455 collocandam esse existimavit. Idem iam sensit, inspectis illis Literis Indulgentiarum, *Meermannus. u*) Corruit igitur sua sponte anterior illo *Schelhornii* ac *Meermanni* opinio, scilicet, per operarios anno 1455 e typographeo Moguntino egressos, sculptos ex ligno vel aere typos in alias urbes esse propagatos.

Post adhibitos anno 1454 fusos e matricibus typos aegre credas, vel Moguntinos inventores, vel eorundem ministros, qui alias in urbes digressi sunt, sculptis e ligno vel metallo typis excudisse insignem illum numerum librorum, quos adhuc post

n) Vind. Typogr. p. 33.
o) Ibid. p. 35 & 265.
p) ap. Wolf T. I. p. 471.
q) Hist. de l'Imprim. P. I. p. 54.
r) Orig. Typogr. P. I. p. 186.
s) Vid supra pag. 27.
t) in Ergoetzlichkeiten aus der Kirchengesch. T. II. p. 573.
u) Vid. supra p. 27.

annum 1470, Argentorati, Coloniae, Augustae Vindelicorum, Ulmae, Spirae &c. sculptis typis impressisse eosdem putarunt *Schelhorn x*) & *Meermann. y*) Incredibile certe videtur, illarum omnium urbium typographos, qui innumeros libros, eosque typis diversissimis excuderunt, innumera typorum alphabeta, maximo cum temporis ac aeris dispendio, lenta sculpsisse manu, quos tamen typos fusoria arte celerrime conflari posse noverant.

Iterata experientia demonstratum esse monet *Lambinet*, ad excudendam unicam Bibliorum Schelhornii paginam, 36 linearum, requiri ultra tria millia typorum. Sic vero, observante *Fournierio*, ad excudendum typis sculptis librum, innumeris typorum scapis minutis insculpendae fuissent alphabeti literae, porro hi ipsi etiam scapi exigendi *primo* ad eandem prorsus *altitudinem*; si minus, eorum quidem altior, non vero depressior, sui notam chartae impressisset: *secundo* ad eandem prorsus *densitatem*, quam *force de corps* appellant Galli, quae iustam aequalemque efficit literarum ac linearum distantiam: *tertio* ad *latitudinem* singulis literis congruentem, quae scilicet minor est in *n* quam in *m*, & minima in *i*. Innumeros hos typorum scapos omnes sculpere eadem facie, eadem proportione, eadem densitate ac politura, ut aequo semper intervallo distent literae pariter ac lineae, impossibile videtur. Difficillimum talem sculpendi in *ligneis* scapis laborem, in *metallicis* operosiorem adhuc, & sumptuosiorem, unquam igitur fuisse adhibitum, nemo facile sibi persuadebit. *z*)

Artis inventores a tabellari Typographia sine medio ad fusos e matrice typos transiisse, existimat *Marchand: a*) nec aliter rem fieri potuisse, satis intelligere, dicit, omnes qui typographiae mechanema & instrumenta norunt: typos quidem metallicos manu sculpi, tentaminis causa, potuisse; sed eum qui requirebatur ingentem illorum numerum poposcisse immensum temporis spatium; ligneos vero typos solutiles, exigui adeo aut modici voluminis ut iis excudi possent libri alicuius molis, ingentem saepius-

x) in Diatr. ad Quirinum p. 19.
y) Orig. Typogr. P. I. p. 36.
z) Vid. Lambinet p. 123 sq. Fournier origine de l'Imprim. p. 67.
a) Hist. de l'Imprim. P. I. p. 20.

que iteratam preli vim ſuſtinere non potuiſſe; quin ligneos eosdem typos tenues lotione tumefactos, & dum ſiccarentur contractos curvatosque, mutilari citius vel diffringi debuiſſe: aut ſi fingantur craſſi ſatis ad ferendam vim preli, libris tantum maioribus vel capitalibus literis excudendis inſervire potuiſſe.

Sculptis ex aere typis excuſum eſſe aut excudi potuiſſe ullum unquam librum, ſummam ob difficultatem, negat *Fournier: b*) idem admittit quidem ligneos ſolutiles typos, ſed non infra menſuram eam quam *Gros-romain* Galli vocant; *c*) minutiores enim ſcapos nimis fragiles eſſe dicit. Ligneorum typorum uſum exoleviſſe putat paullo poſt annum 1462; tunc enim primos typorum fuſores, relicta Fauſti officina, fuſilium typorum uſum mira celeritate per Europae regiones propagaſſe.

Sculptis e ligno typis haud excudi potuiſſe maioris molis volumina, qualia ſunt Biblia & Catholicon, monet *Mercier; d*) putat tamen, ligneis typis, etiam poſt inventos typos fuſos, exaratos eſſe parvos libellos, quales ſunt *Donatus*, *Confeſſionalia* &c. Hos vero libellos frequentiſſimi uſus Cel. *Daunou e*) putat maiori compendio imprimi potuiſſe *fixis* typis quam *ſolutilibus*. difficiliori quippe labore ſculpendis, componendis ac conſtringendis.

Typis e ligno vel metallo *mere ſculptis* libros eſſe excuſos haud credidit *Ooſten de Bruyn*. *f*) novumque ex ingenio ſuo finxit typorum genus, nempe typos *ſculpto-fuſos*, quorum fuſi tantum fuerint ſcapi, quibus in ſuperna parte ſcalpro inciſa ſit alphabeti litera: hisque typis ſculpto-fuſis excuſam eſſe dicit belgicam *Speculi Salvationis* verſionem a Laurentio Koſtero Harlemi. Talibus typis libros unquam fuiſſe excuſos, primum quidem dubitaverat *Meermannus; g*) poſt vero, reiectis typis metallicis *mere* ſculptis, *h*) hos

b) Origine de l'Imprim. p. 68.
c) Obſervations ſur les Vind. Typogr. p. 8.
d) Supplem. à Marchand p. 174.
e) Analyſe des opinions ſur l'Origine de l'Imprim. p. 126.
f) in Deſcript. Harlemi T. I. p. 256. Meermann Orig. typ. P. I. p. 29 & 83.
g) Meermann ibidem.
h) Ibidem P. II. p. 44 ſqq.

typos sculpto-fusos admisit, ita tamen ut eorum inventionem non Harlemensi Laurentio, sed Moguntinis tribueret: immo sculpto-fusos typos ex ipsius *Trithemii* verbis, pro lubitu a se interpolatis & expositis, exsculpere conatus est. *i*) Trithemius autem diserte memorat, Gutenbergium ac Faustum e matricibus fudisse stanneos typos, qui *literae figuram in hac ipsa matrice iam recipiebant*. haud vero eandem demum post solam scapi fusionem scultelli ope erant recepturi. His typis *sculpto-fusis* Meermannus excusa esse dicit *Biblia Moguntina* a. 1456 rubricata, *Psalterium* a. 1457 & 1459, & *Catholicon* a. 1460; *k*) eosdemque typos adhibitos esse dicit ad exitum usque Sec. XV. ab iis qui literas ex aere sculptas adhibuisse sese profitentur, uti etiam in omnibus iis libris, ubi, sola literarum dissimilitudine excepta, aequalitas in paginis, lineis, atque in tota impressione nitor conspiciuntur. *l*) Hos tamen typos sculpto-fusos unquam fuisse adhibitos parum credit is ipse qui Meermanni Origines typographicas in epitomen redactas batavico sermone edidit *Henr. Gockinga*. *m*) uti monet *De Murr*. *n*) qui eosdem typos pro mero habet figmento.

In supradictis libris ea elucet paginarum ac linearum aequalitas, & impressionis elegantia, quae typis mere sculptis obtineri haud potuit. Optime hoc intellexit *Meermannus*. *o*) ubi dicit: „Illa *Biblia* tantam hercle iam produnt elegantiam & aequalem „linearum distantiam, ut literis mere sculptis imprimi vix po„tuerint, quod & de utroque *Psalterio* anni 1457 & 1459 di„ctum velim. Licet enim in duarum vocum typis, quos integros „ex aere sculpendos curavi, mira pelluceat corporum aequalitas; „hi tamen & paucae fuerunt numero, & eo sculptae ordine, „quo subsequi sese in compositione debebant, atque ita dari „potuisse ab artifice operam, ut optime sibi cohaererent: id „autem fieri vix licuit in characteribus magna copia sculptis,

i) Ibidem p. 46 sq.
k) Ibid. p. 45 & 51.
l) Ibid. p. 52. nota *ah*.
m) Amstelodami 1767. p. 10.
n) Merkwürdigk. Nürnbergs p. 761.
o) Orig. Typ. P. II. p. 45 sq.

„qui promiſcue ex ſui ordinis loculo petuntur, neque centies „permutari atque adaptari praecedentibus a typothetis poſſunt.“

Quamvis autem in illorum *Bibliorum* & *Pſalterii* literis quaedam detecta fuerit inaequalitas, vix feriens oculos; in reliquis tamen omnibus literis longe plurimis ſumma apparet aequalitas, quam typis ſculpto-fuſis effici potuiſſe, negat *Heineckenius*. *p*) monetque, etiamſi putes corpora typorum fuſa, iisque inciſam eſſe alphabeti literam; tamen ſi minutis e metallo ſcapis, ferri ope, inſculpſeris literam, ex his literis vix duas evaſuras eſſe aequales. Exiſtimat autem *Heineckenius*, libros omnes excuſos eſſe vel fixis typis vel e matrice fuſis; quae matrices ab initio haud adeo fuerunt perfectae, ut ex iis prodirent literae ex omni parte aequales.

Quae contra ſculptos e ligno vel metallo typos diſputarunt *Marchand*, *Lambinet* aliique, repetit Cl. *Prunelle*, additque: *q*) „Les irrégularités que nous avons remarquées dans l'impreſſion de la *Bible de Saint-Waſt*, *r*) avoient fait conjecturer à quelques bibliographes que cette Bible étoit imprimée avec des caractères mobiles en bois. Mais outre que je crois avoir démontré l'impoſſibilité d'une ſemblable impreſſion, je vais prouver encore que toutes ces irrégularités peuvent exiſter dans un caractère fondu. 1 Il n'eſt guère vraiſemblable que les matrices employées dans le principe fuſſent en cuivre, & que l'on eût trouvé du premier abord l'art de tremper un poinçon de manière à ce que la couche d'oxyde qui ſe forme néceſſairement au feu ſur l'oeil de la lettre, n'en emportât pas une partie. Sans doute il eſt plus naturel d'imaginer qu'on ne trempoit jamais les poinçons, & que les matrices ſe frappoient dans une matière moins dure que le cuivre. Fiſcher penſe qu'on ſe ſervoit de la terre glaiſe; la fonte des cloches devoit en fournir l'idée. Mais on renonça bien vîte à une manière de fondre qui ne pouvoit être employée que pour de très-gros caractères, dont elle ne conſervoit même pas les déliés; &c.

p) Idée p. 446. & pag. 259 ſq.
q) in Magaſin Encyclopédique, année 1806. T. I. p. 74 ſq.
r) Vid. ſupra p. 64. & 98.

on dut faire servir au même usage l'étain ou le plomb. Je sais, par expérience, qu'en se servant du mélange ordinaire, on peut couler dans une matrice de plomb jusqu'à 120, 150 lettres, sans que la matrice soit fondue; seulement après les 50 ou 60 premiers jets elle paroit un peu altérée, & les traits les plus fins des caractères disparoissent pour faire place à d'autres traits plus durs. On peut donc fournir cette première raison des différences que présentent les mêmes lettres dans une même page. 2. Pour que les caractères passés à la fonte portent à plomb dans l'impression, il est nécessaire avant tout que la matrice ait été justifiée, sans quoi, comme disent les imprimeurs, la lettre n'est plus en ligne; & il n'y a aucun moyen d'empêcher qu'elle ne soit tantôt plus haute & tantôt plus basse que celles qui la touchent. 3. Les moules qui servent à fondre ont pu, dans l'origine, n'être point assez parfaites pour donner constamment un écartement tel, que l'epaisseur des caractères ne varie jamais. Ces observations suffisent pour expliquer les défauts que j'ai fait remarquer dans la Bible de Saint-Wast."

PRIMAE IN BELGIO OFFICINAE TYPOGRAPHICAE.

Laurentium, *Harlemensem* aedituum, primum in Belgio typographum, immo primum typographicae artis inventorem, praedicare coepit *Adrianus Iunius* anno 1575, postquam Harlemi reperta est *belgica* versio *Speculi Salvationis*, libellus imaginum anopistographus, sine indicio anni, loci & typographi excusus. Nullus vero extat liber huius Laurentii nomine signatus. Silent venditatum hunc prototypographum omnes Belgarum annales. Quadam tantum orali traditione, quam praetendit Iunius, nititur illa de primo hoc typographiae inventore opinio. Hanc antequam excutiamus, illudque ipsum recenseamus *Speculum Salvationis*, praemittere iuvat ea, quae de primis in Belgio typographis habemus certiora.

Sunt qui existimant primum librum in Belgio cum nota anni excusum, prodiisse ANTWERPIAE anno 1472. Siquidem extant *Tundali Visiones*, belgice, quarum finale monet, impressas esse

esse *Antwerpiae* per *Matthiam van der Goes* anno *MCCCCLXXII*. Verum cum nullus alius noscatur ab eodem typographo ante annum 1482 impressus liber, iste impressionis annus omisso tertio *X* peccare videtur. *s*) Simile prorsus omissi *X* vitium commiserunt praestantissimi Venetiis typographi *Erh. Ratdolt* & *Nic. Ienson*, *t*) uti suo loco videbimus.

Primi cum veriori nota anni in Belgio impressi libri prodierunt anno 1473 *Alosti* Flandriae, & *Ultraiecti*, moxque anno 1474 *Lovanii*.

ALOSTI anno 1473 impressum est *Rihelii Speculum conversionis peccatorum*, sine indicio typographi, sed iisdem typis quibus anno proximo 1474 excuderunt *THEODORICUS*, *MARTINI* filius, ibidem *Mantuanum de Vita beata*, & *IOANNES DE WESTPHALIA Lovanii Petri de Crescentiis Ruralia commoda*. *u*) Eodem anno 1474 prodiit *Liber Praedicabilium*, in cuius fine legitur: *In Alosto oppido comitatus Flandriae per Iohannem de Westphalia Paderbornensem cum socio suo Theodorico Martini. MCCCCLXXIIII. Maii die sexto*. *x*) Hic Theodoricus Martini tunc viginti circiter annorum iuvenis erat, siquidem anno 1534 obiit octogenario maior, teste Epitaphio quod in amici memoriam composuit *Erasmus Roterodamus*: *y*)

Hic Theodoricus iaceo prognatus Alosto,
Ars erat impressis scripta referre typis.
Fratribus, uxori, soboli, notisque superstes,
Octavam vegetus praeterii decadem.
Anchora sacra manet gratae notissima pubi:
Christe, precor nunc sis anchora sacra mihi.

Illis ipsis typis semper dein *Lovanii* usus est *Ioannes de Westphalia* usque in annum 1496. Eosdem, a Ioanne de Westphalia, ut videtur, acceptos, *Theodoricus Martini* ab initio tantum adhibuit.

s) La Serna Dictionn. bibliograph. T. I. p. 347. Lambinet Recherches p. 405.
t) Maittaire Tom. IV. p. 391. Mercier Supplem. à Marchand p. 37.
u) Lambinet p. 288. & 314.
x) Maittaire Tom. IV. p. 334.
y) ap. Marchand Dictionn. Histor. P. II. p. 29. *Sacram Ancoram* Theodoricus, sui typographei insigne, interdum posuit in librorum titulo.

Sunt *Semi-gothici*, satisque elegantes, ita quidem ut glorietur *Theodoricus Martini* in supra dicto Mantuano: *Venetûm scita Flandrensibus affero cuncta.*

IOANNES DE WESTPHALIA, i. e. *de Aken z*) in *Paderbornensi* dioecesi, *Lovanii* quamplurimos libros excudit usque in annum 1496, quo e vita excessisse videtur. Ex his *Lambinet a*) recensuit circa 120. Hic tantum memoramus: Anno 1475 *Iuvenalem* & *Persium*. A. 1476 *Virgilium*. A. 1477 *Lud. Bruni carmen in adventu Maximiliani ducis Austriae, novique Burgundiae ducis.* A. 1483 *Ciceronis Officia*, & *Aeneae Sylvii*. „primum imperialis secretarii, „mox episcopi, deinde etiam cardinalis Senensis, tandem Pii II. „P. M. *familiares epistolas;*" char. romano nitidissimo. A. 1484 *Boëthium de Consolatione Philosophiae* cum comment. Thomae de Aquino, & A. 1486 *Regimen Sanitatis Salernitanum* cum comment. Magnini; quod utrumque opus elegantissime excusum est. Sine indicio anni multos libros impressit idem *Io. de Westphalia;* cuius *charactere romano* excusae sunt *Gasparini Epistolae*, cum epistola Ficheti ad Lapidanum, quae repetita est ex editione Parisiensi, pariter sine nota anni, anno 1470 excusa, in qua nullae occurrunt *Signaturae:* hae ipsae tamen adhibitae sunt in hac editione Lovaniensi, quam pro ipsa Parisiensi perperam habuerunt *Bunemann*, *b*) *Mercier*, *c*) aliique.

THEODORICUS MARTINI, dictus *MARTENS* vel *MERTENS*, qui *Alosti* libros excuderat charactere *Ioannis de Westphalia*, anno 1476 typographiam intulit *ANTWERPIAE*, ibique excudit *Practicam Medicinae* auctore Petro Hispano, qui creatus est Papa *Iohannes XXI* anno 1276. Hunc librum Martens impressit non charactere semi-gothico Ioannis de Westphalia, sed *gothico crasso. d*) Ab illo anno 1476, per integrum decennium, nullus noscitur a Martensio excusus liber usque in annum 1487, quo iterum *ALOSTI* impressit *Chrysostomum de Providentia*, charactere gothico, mi-

z) Lambinet Recherches p. 216.
a) Ibidem p. 267.
b) ap. Maittaire T. IV. p. 293.
c) in Supplem. à Marchand p. 120.
d) Lambinet p. 289.

nus quidem crasso quam in Practica Medicinae, & *Alphabetum divini amoris Ioannis Gerson*, aliosque libellos charactere tenui, satis rotundo & eleganti, qui conformis est ei, quo *Gerhardus Leeu* Antwerpiae an. 1487 usus est in *Commentario Speculi sermonum b. Mariae Virginis*, aliisque libellis. *e*)

Ab anno 1492 Martens alternis vicibus modo *LOVANII*, modo *ANTWERPIAE* libros excudit usque in annum 1511. *Lovanii* a. 1492 *Dialogum senis & iuvenis: Antwerpiae* an. 1493 *Alexandri Galli* sive *de Villa-Dei Grammaticam latinam. Lovanii* an. 1499 *Breviarium ecclesiae Sarisberiensis: f*) an. 1500 *Statuta Synodalia Leodiensia* char. gothico: & *Confirmationem statutorum synodalium Leodiensium* char. *romano* eleganti, aeque ac *Phil. Beroaldi Declamationem philosophi, medici & oratoris. g*) *Antwerpiae* an. 1502 *Iacobum Middelburgensem de praecellentia potestatis Imperatoriae*, char. romano, in cuius finali vocatur *optimus chalcographus: h*) a. 1509 *Erasmi Lucubratiunculas & Enchiridion militis Christiani:* an. 1511 *Rud. Agricolae* opuscula.

Ab anno 1512 Martens *LOVANII* sedit usque in annum 1528, ibique ex eius prelo prodierunt: *Hugo de S. Victore in Epist. Pauli, typis*, uti profitetur, *tornatissimis. i*) & *Erasmus de instituenda pueritia.* An. 1513 *Aristotelis Ethica, graece;* item *Dorlandi vita S. Catharinae* char. romano nitidissimo, quo etiam impressit anno 1511 *Dorpii dialogum Veneris & Cupidinis* cum *Hercule.* An. 1515 *Adriani Florentii de Traiecto*, post *Adriani VI. P. M.*, *Quaestiones quodlibeticae*, charactere gothico, sed, uti gloriatur, *tornatioribus characteribus, quam quivis chalcographi nostrae tempestatis consueverant sacra & theologica excudere. k*) An. 1516 *Thomae Mori Utopiae* editio princeps, & *Plinii Epistolae* cum scholiis *Adr. Barlandi*, char. rom. *l*) An. 1517 *Erasmi Scarabaeus*, *Bellum*, &c. A. 1518

e) Ibidem p. 295. 425. & 437.
f) Ibidem p. 298.
g) Ibidem p. 304 sq.
h) Ibidem p. 306.
i) Maittaire T. II. p. 228.
k) Lambinet p. 307, 310. & 313.
l) Ibidem p. 311.

Aristophanis Plutus, graece. An. 1520 - 1522 *Theocriti Idyllia*, graece, item varia Opuscula *Luciani*, *Euripidis*, *Demosthenis*, *Plutarchi*, *Isocratis*, graece. An. 1523 *Homeri Ilias*, & *Aristotelis Organon*, graece. An. 1525 *Herodianus*, graece. An 1527 *Erasmi* Paraphr. in Epist. ad Romanos. An. 1528 *Xenophontis Hiero*, graece.

Lovanii *Martens* amicitiam coluit *Erasmi Roterodami* & *Martini Dorpii*, Theologi. Erasmus anno 1521 Belgio suo valedixit, sedem fixurus *Basileae*, quam ab anno 1514 saepius iam inviserat, ubi *Ioannes Frobenius*, Erasmo amicissimus, *Novum Testamentum graecum*, & *Hieronymi Opera*, illo curante excudebat. Martensium plures calluisse linguas, docent ea quae de eodem scripsit anno 1518 *Dorpius* ad *Erasmum*, *m*) qui tunc Basilea Iacobum famulum cum literis miserat Lovanium: *Anxie rogavi ut valeres, ut valuisses usque; opus illud insigne quousque productum foret, ecquid Frobenius adornaret, seu Erasmicum, seu alterius cuiuspiam... Et ecce dum nos fabulamur maxime, Theodoricus potitat maxime... ne ipse quidem interim ociosus a fabulis, omnibus pene linguis loquitur dixerim, an obturbat? Germanica, Gallica, Italica, Latina: ut in hoc apostolicum quempiam renatum credas... Praeter ea autem rogavi, ut valeat eximius ille Berus, eximius ille Fabricius Capito, eximius Rhenanus... Fortunatum te, mi Erasme, qui cum heroibus istis tam amice, tam familiariter quotidie versere... O candidum diem, qui te Lovanio reddet!... Frobenio, omnium principi chalcographorum (pace modo Theodorici nostri dixerim) plurimam ex me salutem nuncies.*

De Martensio ipse scribit *Erasmus* ad supradictum Rhenanum a. 1515: *n*) „Languidulus, ut scis, *Basileam* relinquebam ... Ad *Theodoricum* typographum diverto, amicum tam sincerum, ut vel hoc uno beatus sim futurus, si res animo responderet: ea nocte eruperat, inscio me, maximum ulcus ... Apud *Theodoricum* curatus fere quatuor hebdomadis, in cubiculum meum remigravi.“

Martensium *Alosti*, simul *Antwerpiae*, ac *Lovanii* habuisse offi-

m) Tom. III. Operum Erasmi P. II. col. 331. edit. Clerici.
n) Ibidem P. I. col. 371. & 374 sq.

cinas, ibique alternis vicibus libros excudisse, dum ex una transiret in alteram, haud verosimile videtur. Crederes, Martensio prela sua commodasse illarum urbium typographos, inprimis *Gerhardum Leeu*. cuius typis, uti iam pag. 111. diximus, Martens varios libros excudit.

Martens. quem, *graecas* editiones quod attinet, Belgii *Aldum* quodammodo diceres, obiit *Alosti* anno 1534. Lapidi, quo tegitur illius sepulcrum, insculptum legitur: *Hier leit begraven Dierick Martens deerste leterdruckere van Duitschlant Vrankeryke en desen Nederlanden. hy sterf A.° XV° xxxiiij de xxviii dach j maie.* Haec latine sonant: Hic iacet Theodoricus Martens, primarius typographus Germaniae, Galliae & huius Belgii; obiit anno 1534 die 28 Maii. Hoc Epitaphium aeri curate incisum exhibet *Lambinet*. *o*) Erronea sunt illa epitaphii verba, quae recitat *Marchand*. *p*) & ex illo *Meermann*. *q*) quibus dicitur, Martensium e Germania & Gallia typographiam intulisse Belgio.

ULTRAIECTI an. 1473 NIC. KETELAER & GERHARDUS DE LEEMPT excuderunt *Petri Comestoris Hist. Scholasticam Novi Testamenti*. & an. 1474 *Eusebii Hist. Ecclesiasticam*, latine. Iisdem typis *r*) sine anno, loco & typographo prodierunt *Historia de Alexandri M. praeliis*. *Vegetius de re Militari*. *Hieronymus de Viris illustribus*. & *Thomae a Kempis* opera varia; quos quatuor libros *Meermannus s*) fingit excusos esse Harlemi a Laurentii haeredibus intra annos 1462 & 1472.

Supra iam monuimus, *Antwerpiae* MATTHIAM VAN DER GOES signasse anno 1472 *belgicam* versionem libelli *De raptu animae Tundali & eius visione*. qui tractat *de poenis inferni & gaudiis paradisi*. In fine legitur: *Gheprent t'Antwerpen bi mi Matthys van der Goes anno* M CCCC LXXII. Eum prorsus ad modum, quo excusus est hic libellus, idem Van der Goes impressit quoque *Speculum vel re-*

o) Recherches sur l'orig. de l'Imprim. p. 326.
p) Dictionn. Histor. P. II. p. 29.
q) Orig. typ. P. I. p. 98.
r) La Serna Dictionn. bibliograph. T. I. p. 302 sq.
s) Orig. Typogr. P. I. p. 144.

gulam christianae fidei. belgice; in fine: *Gheprent t'Antwerpen bi mi Matthys van der Goes m cccc lxxxij*. *t)* Hoc anno 1482 antiquius Datum cum nullam gerat huius typographi opus, inde colligitur, in illo *Tundali Visionum* Dato omissum esse tertium X. annoque demum 1482 impressum esse illum libellum. Libros ab hoc Van der Goes impressos recenset *Lambinet; u)* qui monet, illius typis, sine indicio anni, excusa esse *Capitula Herbarum*, quae continent CL. plantas, ad vivum sculptas, quarum indicantur virtutes & in medica arte usus.

Antwerpiae quoque GERHARDUS LEEU ab anno 1484 multis voluminibus *latine*, *belgice* & *gallice* excusis inclaruit, ex quibus plures ornati sunt figuris ligno incisis. Idem *Leeu* iam GOUDAE ab anno 1477 e prelo suo libros emiserat, in his a. 1480. *Dialogum creaturarum optime moralizatum*, *iucundis fabulis plenum*, cum figuris ligno incisis. *x)* Libros *Antwerpiae* ab illo excusos recenset *Lambinet*, e quibus hic nominasse sufficiat an. 1486. *Fabulas Aesopi*, *Avieni*, *Alfonsii*, *Poggii*, &c. cum figuris: anno 1487 *Autoritates Aristotelis*, *Senecae*, *Boëthii*, *Platonis* &c. & *Histoire du chevalier Paris & de la belle Vienne, fille du Dauphin:* item eundem librum *belgice*. An. 1491 *Die legende van sinte* FRANCISCUS. & *Die legende en dat leven der heyligher maget sinte Claren*, *y)*

Lovanii, dein *Ultraiecti*, tandem *Culemburgi*, inclaruit inprimis IOANNES VELDENER, qui COLONIAE primum typographicam artem exercuisse videtur. Etenim illius typis impressus est *Belial*, sine anno, loco & typographo, cui editioni praefixa est Epistola ad Veldenerum data *Coloniae* anno 1474 per Gervinum Cruse; unde colligas, hunc *Belialem* Coloniae illo vel sequenti anno per Io. Veldenerum esse impressum. *z)* LOVANII Veldenerus a. 1476 excudit *Fasciculum Temporum*, sive Chronicon *Werneri Rolewinkii*, Carthusiani, cum nonnullis figuris ligno incisis, ad modum primae editionis, quae prodierat Coloniae a. 1474 e prelo *Arnoldi Ther-*

t) Lambinet Recherches p. 407.
u) Ibidem p. 406-414.
x) Ibidem p. 413.
y) Panzer T. I. p. 7 sqq.
z) Panzer T. I. p. 523. Lambinet p. 268.

Huernen. a) Illo quoque anno 1476 Veldenerus impressit *Formulas epistolares*, in quarum finali profitetur, ipsi *adesse industriam certa manu insculpendi, caelandi, intorculandi, caracterizandi, adde & figurandi & effigiendi, & si quid in arte secreti est. b)*

ULTRAIECTI Veldener a. 1480 excudit *belgicam Fasciculi Temporum* versionem, subiunctis Galliae, Angliae & Belgii quibusdam Chronicis: *c)* typorum specimen exhibet *Meermann. d) CULEMBURGI* Veldenerus anno 1483 impressit *belgicam SPECULI SALVATIONIS versionem, opistographam*, iisdem cum *figuris*, quibus ornatae sunt huius *Speculi* editiones quatuor *anopistographae*, duae scilicet *latinae*, totidemque *belgicae*, omnes sine anno, loco & typographo. Primae hae *Speculi* editiones si prodiissent ex officina *Laurentii Harlemensis*, uti cum *Iunio* & *Scriverio* contendunt alii quoque auctores Batavi; eiusdem Speculi figurae a *Laurentii haeredibus* pervenissent ad *Veldenerum*, qui certe illius prototypographi Harlemensis mentionem fecisset in illis *Chronicis*, nominatim *Hollandiae*, quae belgico sermone excudit *Ultraiecti* a. 1480, quaeque Chronica omnia finiuntur anno 1479. *e)*

At in his e Veldeneri prelo Chronicis, aeque ac in ceteris omnibus Batavorum annalibus, altum est de Laurentio Harlemensi typographo silentium. Unde satis patet, id quod anno 1757 scripserat ipse *Meermann: f) Quaecunque pro Laurentio ex historia patria petuntur, gratis supposita sunt.. Quo tandem pacto Faustus, qui a Gutenbergio artem didicerat, eo impudentiae esset progressus, ut in editionibus ab anno 1457 publice profiteretur, typographiam in Germania esse inventam? & si aliter se res habuisset, nonne repertus fuisset typographus aliquis aut Chronographus Batavus, qui quod sibi palam tribuerant Moguntini, vindicaret Harlemo? nullus tamen inventus est talis vindex. Chronicon Batavicum DE DIVISIE-CHRONYK*

a) Lambinet p. 269 sq.
b) ap. Heinecken Idée p. 459 sq.
c) Vid. Marchand Dictionn. histor. P. II. p. 295.
d) Orig. typ. Tab. VIII.
e) Marchand Dictionn. hist. P. II. p. 295.
f) in Epist. ad Wagenarium a. 1757. ap. La Serna Dictionn. bibliograph. P. I. p. 16.

vulgo appellatum. etiam in prima editione anni 1517. Typographiae inventionem sub exoticarum inventionum capite memorat. Kost. rianae fabulae cum ansam dederit *Speculum Salvationis*, de hoc iam sermo instituendus est.

SPECULUM SALVATIONIS.

Speculum Salvationis, libellus est in folio minori; cuius *Latina prima* editio constat 63 foliis, ab una tantum parte impressis, quorum quinque continent Praefationem, reliqua gerunt 29 tabulas figuratas cum subiunctis rhytmis. Singulae tabulae sistunt duas historias, columellâ seiunctas, quarum una ad alteram videtur alludere: è Bibliis S. fere omnes sunt desumtae, aliquae tantum è profanis scriptoribus. Singulis historiis, intra ipsam illarum aream, insculptus est *versiculus*, earundem argumentum indicans. In media icone figurae 13 a & 40 b leguntur *sententiolae*, aplustribus dependentibus insertae. *g*) Huius opusculi quamplurimi extant MSS. codices, in membranis fere omnes, figuris rudiori minerva pictis ornati. Eorum, quos vidit *Heinecken*, antiquissimum putat Vindobonensem caesareum, quem Secul. XII. scriptum esse coniicit. *h*) Compositum forte esse hunc libellum Seculo XIII. vel XIV. a quodam *Ioanne*, monacho Benedictinae abbatiae San-Ulricanae Augustae Vindelicorum, suspicatur *Meermann i*) ex versibus, qui leguntur in fine *Epitomes* huius Speculi, *latino-germanicae*, sine indicio loci & anni impressae, cum figuris ligno incisis, & San-Ulricano abbati inscriptae. Hunc tamen *Ioannem* nonnisi huius Epitomes vel *Summulae* auctorem esse, patet. *k*) Ipsius Speculi auctor ignotus est.

Tabulae figuratae eaedem prorsus sunt in omnibus Speculi editionibus. Sculptoris artem haud satis se admirari posse, dicit *Heinecken*. *l*) nec ullum nostrae aetatis figuras subtilius ligno incidere

g) Heinecken Idée p. 432 sqq. Meermann P. I. p. 106.
h) Ibidem p. 468. & 478.
i) Orig. typ. P. I. pag. 101.
k) Heinecken Idée p. 467.
l) Ibidem p. 432.

posse; *delineationem* vero dicit esse gothicam, quamvis peritior sit ea, quae cernitur in figuris *Bibliorum Pauperum*, reliquorumque xylographicorum libellorum, quos supra recensuimus pag. 3 sqq. Tabularum figuratarum primam ac ultimam aeri incisam exhibet *Heinecken*. m) Adhibitum ad figuras *atramentum* pallidum est, aqua, uti videtur, dilutum; in textu autem atramentum apparet nigrum, oleo tinctum. n) Diversum hoc atramenti genus, & inaequalis passim textus a figuris distantia satis ostendunt, eundem haud simul cum figuris esse excusum. o) Typi quadrati sunt, quales in antiquis monimentis conspiciuntur: dissimiles vero iis, qui intra ipsam iconis aream sculpti sunt, eisque elegantiores.

In *prima* hac Speculi editione *latina* hoc prorsus singulare occurrit, quod *viginti* ex illius foliis textum gerunt *fixis* typis excusum, unde in eorum aversa pagina alba textus vestigium aeque alte impressum apparet ac figurarum, quia textus, aeque ac figurae, tritoris ope impressus est: reliqua autem 45 folia, ad quae pertinet Praefatio, mobilibus typis sunt excusa preli ope, unde in eorum aversa pagina alba figurarum tantum, non textus, vestigium apparet. Specimina typorum tam *mobilium* quam *fixorum* exhibet *Meermann* Tab. V. Illa 20 folia, fixis typis impressa, cum in omnibus quae extant quinque huius editionis exemplis eodem prorsus modo & ordine intermixta sint reliquis 45 foliis, mobili charactere excusis; abunde patet, haec exempla haud e diversarum fragmentis esse consuta, quamvis hoc sibi persuaserit *Fournierius*. p) Sunt autem illa quinque exempla: *Parisinum* caesareum, *Sorbonicum*, *Girardotinum*, & in Anglia *Pembrokianum* ac *Meadinum*. q)

Secundae Latinae editionis folia omnia mobilibus typis sunt excusa, preli ope, unde in eorum aversa pagina alba nullum typorum vestigium cernitur, sed tantum figurarum, quarum dorsum album, chartariorum instrumento attritum, laevi-

m) Idée ad p. 442.
n) Meermann P. I. p. 104.
o) Idem p. 108. Heinecken Idée p. 442. Fournier Origine p. 155.
p) Origine p. 157.
q) Heinecken Idée p. 442. & 448.

gatum ac fuscum apparet. Typi iidem sunt cum mobilibus primae editionis, et *Meermanno r*) videntur paululum grandiores charactere reliquarum Speculi editionum. Secundae huius latinae editionis exemplum integrum exstat apud *Coelestinos Parisienses*. Exemplo, quod Harlemensis curia ab anno demum 1654 asservat, tota deest Praefatio. Affixus huic exemplo Seculo XVII. titulus impressus: „ Liber cuius nomen & titulus humanae salutis, *Har-* „ *lemi ex officina Laurentii Ioannis Costeri*, anno 1440," a *Scriverio* fabricatus videtur *Meermanno*. *s*) qui huius inscriptionis auctoritatem nauci esse monet.

Secundae editioni Latinae persimilis est BELGICA SECUNDA editio: utriusque typi ipsissimi videntur *Meermanno*. *t*) In secunda tamen Belgica editione illud singulare occurrit, quod in foliis figuras 45 & 56 exhibentibus, textus excusus est charactere minutiori minusque eleganti quam in ceteris omnibus foliis. Specimen typorum secundae editionis tam Latinae quam Belgicae aeri incisum exhibet *Meermann. u*)

BELGICA PRIOR editio minori longe arte & cura excusa est, quam reliquae tres Speculi editiones. In exteriori quarundum iconum margine apparent hiatus, testes vel triturae tabularum vel imperitiae artificis: typus, difformior ac paulo minutior, quam in ceteris editionibus, minus apte ad impressionem adhibitus est; etenim non modo singulares literae hic illic comparent *inversae*, sed integra etiam verba, *Genesis IX Capittel*, inverso ordine impressa conspiciuntur sub figura 38. tum spatia, quibus voces seiunguntur, nimis interdum elata, sui vestigium in charta reliquerunt: contra literae quaedam altius iusto depressae, vel prorsus non, vel vix, apparent. *x*)

Hi impressionis defectus haud produnt artificem magni subactique ingenii, qualem Iunius fingit *Laurentium Harlemensem*. nec

r) P. I. p. 124.
s) Ibidem.
t) Ibidem p. 125.
u) Tab. VI.
x) Ibidem P. I. p. 119.

eum testantur virum, qui perfectiori quodam invento gloriam sibi comparare studuerit, sed imperitiorem typographum, qui lucro inhians, festinanter nimis impressit sacrum frequentis tunc usus libellum. Figurarum atramentum pallidius est quam in ceteris editionibus, sed uti in his, nonnisi aqua dilutum: cum figuris autem si comparetur atramentum textus, apparet nigrum, re ipsa vero murini coloris est, inaequaliter ac fordide adhibitum, plus iusto oleosum, chartam ab altera parte subinde flavam reddens. Hoc Speculo, inquit Scriverius, y) nihil fieri potest incomtius: simul tamen monet, exaratum illud esse typis non sculptis e ligno, uti docet *Iunius*, sed fusoria arte factis, uti supra pag. 102. vidimus. Primam huius editionis tabulam figuratam cum subiuncto textu sculptam exhibet Meermann Tab. III.

Belgica versio, paraphrasis est rhytmorum Latini Speculi: huic versioni ad singulas historias praefixa est interpretatio *Latini versiculi*, qui figurarum docet argumentum, ipsique iconum areae inclusus est, uti superius iam dictum est: unde satis apparet, easdem figuras non *belgico*, sed *latino* Speculo excudendo primitus fuisse destinatas, editionemque *latinam* priorem esse *belgica*. quod concesserat ipse *Meermann* a. 1457. z).

Prioris Belgicae editionis duo adhuc noscuntur *exempla*, & quidem *Harlemi*, ambo *mutila*. Alterum, uno eodemque volumine iunctum *Historiae Alexandri M.* (quae ex Ultraiectina *Ketelaerii* & *De Leempt* officina prodiit,) Scriverii tempore a. 1628 possedit *Nic. Vernier*, Harlemensis civis, a) nunc extat in *Harlemensis Senatus bibliotheca* publica: *alterum* eiusdem Speculi exemplum continebatur *cista*, quae *Hagae-Comitum a. 1654.* venum exposita est cum aliis libris in eadem repositis, quos omnes tunc coëmit *Harlemensis Senatus*. b) eosque ex illo tempore in *Curia* sua asservat: sunt autem hi libri, praeter Speculum Belgicum, *Speculum Latinum posterioris editionis*, cui in eodem volumine adhaerent *Ars moriendi* & *Hist. B. Virginis ex Cantico*; Figurae *Apo-*

y) ap. Wolf T. I. p. 419.
z) in Epist. ad Wagenarium ap. La Serna Dictionn. bibliograph. T. I. p. 15.
a) Scriverius ap. Wolf T. I. p. 415. Meermann P. I. p. 144.
b) Meermann P. I. p. 117 sq.

calypseos S. Iohannis, *Coloniense Chronicon* a. 1499, *Ciceronis Officia* e *Fausti* prelo a. 1466, *Speculum Belgicum Veldenerii* a. 1483, & *Barthol. Anglici* de Proprietatibus rerum Belgica versio, impressa Harlemi a. 1485 per *Iac. Bellaert*, ante quem Bellaertum *Ioannes Andreae* fil. Harlemi primus libellos excudit ab an. 1483. *Cistam* illam cum memoratis libris Hagae-Comitum an. 1654 a *Laurentii Harlemensis posteris* redemisse Harlemensem Senatum, gratis dicit *Meermann*; c) nec affirmare licet, eundem Senatum primitus asservari curasse illos libellos, ac si excusi fuerint ab Harlemensi Laurentio, primo typographiae inventore.

Belgicam Speculi versionem in folio minori, anopistographam, *Io. Veldener* Culemburgi a. 1483 recudit in 4to. min. cum iisdem prorsus figuris, ita tamen ut supradictas *columellas*, quae binas singularum tabularum historias seiungunt, *secaret medias*, adeoque *ex una tabula figurata faceret duas*; unde in hac nova editione, ab utraque folii parte impressa, non 58 sed 116 figurae comparent. Huius editionis exempla licet eodem anni 1483 die, *Zaterdag* post Matthaei, signata sint, insignis tamen in eis occurrit diversitas. Etenim *Enschedii* exemplum auctum est sex tabulis figuratis, pariter dissectis, adeoque 12 historiis, subiuncta versione *belgica* textus *latini* qui legitur in MSS. codicibus. Has ipsas 12 historias Veldenerus ipsis restituit locis, in quibus reperiuntur in illis codicibus, scilicet quatuor figuras inseruit post figuram 49, octo reliquas post figuram 52. *d*) Easdem 12 figuras *Meermannus e*) dicit rudiori minerva sculptas esse quam praecedentes. *Heinecken f*) contra observat: *Ces pièces nouvellement ajoutées sont du même faire & du même dessin que les anciennes: il n'y a aucune apparence, qu'elles viennent d'un autre maître.* Idem *g*) porro monet, Veldenerum eodem anno 1483 excudisse *Historiam S. Crucis*, figuris ligno incisis, quibus singulis praefixi sunt quatuor versus lingua hollandica, additque: *Les vignettes sont de la même forme, d'un dessin & d'une gravure qui ressemble entièrement à celles du* Specu-

c) Ibidem.
d) Heinecken Idée p. 462 sq.
e) Orig. Typogr. P. I. p. 106.
f) Idée p. 463.
g) Ibidem p. 461. Panzer T. I. p. 353.

lum, *tellement qu'on peut dire avec assurance, qu'elles viennent du même maître.*

Speculi anopistographi figuras non simul cum literarum typis, sed diversis vicibus prelo subiectas esse, ex atramenti diversitate, aliisque indiciis patere, iam observavit *Scriverius. h*) *Fournier i*) putat, Speculi figuras ante inventam typographiam sine textu esse exaratas, ut calamo post adscriberentur earundem explicationes, uti factum est in *Apocalypsi S. Iohannis*, superius descripta pag. 5. *Heinecken k*) existimat, Speculi tabulas diu ante inventam typographiam iuxta MS. codicem *latinum* sculptas esse, ita quidem ut 64 tabulas confecerit sculptor, e quibus sex non adhibuerit primus impressor, restituerit autem Veldenerus.

Speculi figuras omnes a quo acceperit Veldenerus, an eas sculpserit ipse, vir huius artis peritus, parum liquet: neque easdem nonnisi in Belgio sculpi potuisse, affirmare licet. Etenim sculpti intra ipsam iconum aream versiculi non sunt *belgici* sed *latini;* sculptoresque in ligno peritissimos iam tunc Germania habuit, quod testantur capitales literae Psalterii Faustiani anni 1457. Praeter libellos imaginum Bambergae anno 1462 impressos, *Coloniae* quoque cum figuris ligno incisis a. 1474 prodierunt *Fasciculus temporum*, & circa annum 1480 *Biblia Germanica l*) sine anno, loco & typographo. Sic quoque *Moguntiae* cum figuris impressa est a. 1488 *belgica* versio *Bern. de Breitenbach Itinerarii in Terram sanctam*, quae figurae occurrunt etiam in eodem Itinerario *latine* & *germanice* anno 1486 ibidem excuso. *m*) Unde forsan coniicere licet, *Speculum Salvationis*, *latine* primum, post *belgice* excusum, lucem vidisse *Coloniae*, quae urbs Belgio vicinior est, in qua etiam *Veldenerus* primum typographiam exercuit.

Sin autem opinari malimus, Speculum *belgicum* in ipso Belgio esse excusum, non videtur verosimile, impressum illud esse *Harlemi*.

h) in Laure-crans ap. Wolf T. I. p. 415.
i) Origine de l'Imprim. p. 130. & 154.
k) Idée p. 463.
l) Panzer Annalen der deutschen Litter. p. 15.
m) Idem Annal. typ. T. II. p. 131. & Annalen der deutschen Litter. p. 162.

qua in urbe excusus liber ante annum 1483 nullus extat; sed potius *Antwerpiae*. ubi iam anno 1442 reperti sunt figurarum in ligno sculptores, earundemque impressores, uti post videbimus. Speculum *belgicum* vel *hollandicum Antwerpiae* vel *Lovanii* a Veldenero excudi potuisse, non prorsus negari potest, praesertim cum illis temporibus tanta inter *belgicam* & *hollandicam* linguam nondum fuerit diversitas. quanta nunc est, uti monet hollandicus Des-Rochianae Dissertationis interpres. *n*) Si vero in ipsa *Batavia* excusum est illud *Speculum*. fieri id potuit *Ultraiecti* in officina *Ketelaerii* & *De Leempt*. quorum typis impressam esse diximus *Historiam Alexandri M.*, quae in altero Harlemensi codice *Speculi*. eidem subiuncta est. Quamvis enim Speculi typi diversi sint a characteribus primarum in Belgio officinarum, quas supra indicavimus, facile tamen fieri potuit, ut in *Speculo*. diversi prorsus generis libello, diversum quoque typorum genus fuerit adhibitum.

LAURENTIANA OFFÍCINA SPURIA.

Adrianus Iunius in *Batavia* sua, *o*) *Harlemi* anno 1575 consummata, & post auctoris eodem anno obitum, anno demum 1588 Lugd. Batav. impressa, primus omnium narrat, *Harlemi Laurentium*. *Ioannis* filium, cognomento *Kosterum*. (quoniam *aeditui* munus tunc honorificum eiusdem familia haereditario iure possederit,) ante 128 annos in aedibus satis splendidis habitasse; eumque e *fagino cortice typos* formasse, quibus *versiculum unum & alterum* duxerit, generi sui liberis calligraphiae exemplum futurum; post invento *atramenti* genere glutinosiori, *pinaces totas figuratas additis characteribus* expressisse: quo in genere idem Iunius vidisse se testatur *Speculum Salutis* belgice, haud opistographum, excusum a Laurentio, quem dicit postea *faginas* formas mutasse *plumbeis*. tandem *stanneis*. sicque fusoriam quoque typorum artem invenisse, & ex impressis a se libris *uberrimum fecisse quaestum*; tunc autem ex illius ministris *Ioannem* quendam, *Faustum* uti ferat suspicio, *una nocte omnes heri sui typos & instrumenta typographica furto abstulisse*. deportasseque primum *Amstelodamum*. deinde *Co-*

n) ap. Breitkopf über die Erfindung der Buchdruckerkunst p. 40 sq.
o) apud Meermann P. II. p. 90 sqq.

loniam, tandem *Moguntiam*, ibique, intra vertentis anni ſpatium, an. 1442 ipſiſſimis heri-ſui typis excudiſſe *Alexandri* Doctrinale, & *Petri Hiſpani* tractatus.

Crederes *Laurentium* Harlemenſem, in lauta fortuna poſitum, tam inſignis furti reum in ius vocaſſe, confectisque novis typis & inſtrumentis typographicis libros excudere perrexiſſe, quibus perfidum illum *Ioannem* admiſſi ſceleris in publica orbis luce poſtularet: ſed horum quicquam feciſſe eundem *Laurentium*, plane non dicit *Iunius*: & quamvis affirmaverit, perfidum illum *Ioannem cunctos* heri ſui *typos* abſtuliſſe; ſubiicit tamen, ex eorundem typorum reliquiis conflata eſſe oenophora vel vaſa vinaria, quae in Laurentianis illis aedibus adhuc hodie viſentur. Laurentii vero ſtanneos typos ſi habuiſſent Harlemenſes, eos ſervaſſent potius, quam ex illis conflaſſent oenophora, cauponae magis quam typographicae officinae teſtes.

Quae de Laurentio Harlemenſi narrat *Iunius*, ea ſibi narraſſe dicit *Nic. Galium*, pueritiae ſuae formatorem, quem dicit eadem audiviſſe ex *Cornelio*, bibliopego, octogenario, Laurentianae officinae ſubminiſtro. Iunius porro dicit, ſibi narraſſe *Quirinum Taleſium*, Conſulem Harlemenſem, ipſum ex illius *Cornelii* ore eadem fere percepiſſe. Hoc *Taleſio*, tanquam amanuenſe, per multos annos uſus eſt *Eraſmus* Roterodamus, *p*) qui tamen an. 1519 & 1530 inventae typographiae gloriam non *Harlemo*, ſed *Moguntiae* tribuit: *q*) unde colligitur, Eraſmum nec ex illo *Taleſio*, nec ex *Martenſio* ſuo; de Laurentio Harlemenſi prototypographo quicquam audiviſſe.

Inventam eſſe Harlemi a Laurentio typographiam, ignorant, ipſo fatente *Meermanno*, *r*) omnes prorſus Bataviae, ante Iunium, *Chronographi*, qui res illa aetate geſtas memoriae prodiderunt, no-

p) Eraſmi Epiſt. ad Maximilianum a Burgundia a. 1529. T. III. Opp. col. 1222. edit. Clerici. Meermann P. I. p. 57. & 69.

q) in Notis ad Hieronymi Epiſt. IX. & in Epiſt. praefixa Livii edit. Moguntinae a. 1519. ap. Meermann P. II. p. 157.

r) Orig. Typ. P. I. p. 67 ſq.

minatim *Chronicon* vernaculum an. 1478 impressum *Goudae* per Gerh. *Leeu: magnum Chronicon Belgicum*, quod finitur an. 1474: *s*) *Aegidii de Roya* Annales, & *Reyn. Snoy* Res Batavicae. *t*) Quin, uti iam pag. 115. monuimus, *Laurentium* prototypographum tacet ipse *Io. Veldener*, qui Speculum cum iisdem figuris recudit: immo *De Divisie Chronyk* Lugd. Bat. a. 1517 typographiae inventionem sub exoticarum inventionum capite memorat. *Adrianus Barlandus*, *u*) e Zeelandia, an. 1552 scripsit: *Frederico III. regnante ars impressoria est inventa apud Moguntiam. Germaniae civitatem. Iodocus Badius*, *x*) Asca - Brabantinus, anno 1499 Typographiae inventionem *Teutonibus* tribuit.

Quae de inventa in sua urbe Typographia Harlemenses, Iunii temporibus, iactabant, vera-ne sint an falsa, decernere se nec posse nec velle, professus est *Ludov. Guicciardinus* Antwerpiae scribens a. 1567, *y*) qui, tacito *Laurentio Kostero*, Harlemensium de primo inventore traditionem refert longe diversam ab Iuniana narratione, ubi dicit: *Harlemi, non modo iuxta publicam incolarum, aliorumque Hollandorum vocem, sed & scriptores quosdam, aliaque monumenta, inventa primum fuit ars imprimendi, & literas characteresque in chartam transferendi, hodie recepta. Verum auctore* ANTE PERFECTAM EVULGATAMQUE ARTEM *defuncto, huius famulus, ut narrant, Moguntiam abiit, ubi eandem in lucem prodens perbenigne fuit exceptus. Illic autem data porro arti est opera, tanta cum industria, ut ad plenam eius perfectionem ventum fuerit... Quid hac in parte vero sit consentaneum, iudicare nec possum nec volo. Sufficere arbitratus, aliquid ea de re commemorasse, ne isti urbi regionique gravis sim.* Ex his Guicciardini verbis colligere licet, ipsos Harlemenses illo tempore tradidisse, primum in urbe sua typographum xylographicum tantum opus, non verae typographiae foe-

s) in Pistorii Script. rer. German. Tom. III.
t) Uterque in *Swertii* rer. Belgic. annalibus, Francof. 1620. Tom. II.
u) in libro Historicorum ad an. 1440. Lovanii 1566. ap. Meermann P. II. p. 166.
x) in Epistola praefixa Epist. illustrium Virorum, Lutetiae in officina Nic. Wolf a. 1499. ap. Meermann P. II. p. 135 sq.
y) in Descrizione di tutti i Paesi Bassi (Belgii,) Antwerpiae a. 1567. pag. 180. ap. Meermann P. II. p. 197.

tum, exaraſſe, eoque demum defuncto, famulum Moguntiam abiiſſe, ibique ſolutilibus typis libros primum eſſe excuſos. Sic quoque non mobilibus ſed *fixis* typis *Donatum* in Hollandia ante a. 1450 excuſum eſſe, ſcripſerunt *Mariang. Accurſius* & *Colonienſis Chronici* auctor, *Scriverio* & *Boxhornio* fatentibus, uti ſupra pag. 25. vidimus. Laurentii Koſteri nomen primus prodidit Iunius: quo dictante ſcripſit *Theod. Coornhert* in Epiſtola dedicatoria Officiorum Ciceronis, quae belgice excudit Harlemi a. 1561, ibi inventam eſſe typographiam; nomen tamen inventoris ſiluit. *z*)

Demum ſub Sec. XVII. initium, uti *Meermanno a*) videtur, Harlemenſes in frontiſpicio aedium, quas olim inhabitaſſe dicunt *Laurentium* quem vocant *Koſterum*, eiusdem effigiem in tabula lignea fecerunt, ſubiuncta *Inſcriptione*, quae monet hîc inventam eſſe Typographiam circa an. 1440. Verum hanc inventae artis epocham poſt mutarunt in annum 1428, auctore *Petro Scriverio*, Harlemenſi, qui Laurentio Koſtero *Lauream* belgico ſermone nexuit a. 1628; qua in Laurea dicit, Laurentium *iam a. 1428 typographiam inveniſſe*, quoniam *Rabbi Ioſeph b*) in Chronico a. 1554 Venetiis impreſſo refert, vidiſſe ſe librum anno MCCCCXXVIII. Venetiis excuſum, cuius libri tamen nec titulum nec argumentum indicat. Illud impreſſionis Datum in quodam libro ſi revera extitit, omiſſo quinto *C* peccare videtur, cuius generis vitium in aliorum etiam librorum Venetiis impreſſorum Datis occurrit. *c*) Scriverii in iudicando acumen hîc hebetavit patriae amor, uti etiam eo loco, quo ſcribit: *d*) *Polydorus Vergilius inventionem huius artis commentitio cuidam equiti Germano Ioanni Gutenbergio adſcribit*.

In Scriverium ac Iunium calamum ſtrinxit *Gabriel Naudé*, Gallus a. 1630, *e*) dixitque: *L'impreſſion a commencé en Allemagne*, &c.

z) Meermann P. II. p. 193.
a) Ibid. P. I. p. 69.
b) Scriverius ap. Wolf T. I. p. 403. Meermann P. II. p. 189.
c) Panzer T. III. p. 151.
d) ap. Wolf T. I. p. 242 ſq.
e) Addition à l'Hiſt. de Louis XI. Paris 1630. 8. in Mémoires de Comines, Paris 1747. Tom. IV. p. 326. & 323.

nonobstant toutes les oppositions des Hollandois, on ne doit frustrer cette grande & ingénieuse nation de ce que la raison & l'autorité de tous les grands personnages, qui vivoient du tems qu'elle nous a donné cette belle invention, lui accordent ... L'on pourra dire de Harlem ce que Petrarque disoit autrefois de Paris, savoir que multa suorum mendaciis debet. *f*) Iunianae narrationis absurda prolixe ostendit *Bern. a Mallinkrot*, Monasteriensis Decanus a. 1646, *g*) contra quem eodem anno verbosius quam felicius pugnavit *Boxhorn. h*) Harlemensis Kosteri causam adhuc tueri conatus est *Seitz* Harlemi a. 1740. *i*)

Tandem in scenam prodiit *Gerh. Meermann*, Roterodamensis Syndicus. Hic primum a. 1757 datis ad Wagenarium literis, praeter ea quae ex iisdem supra iam citavimus, ulterius scripsit: *i*) *Quae de inventa per Laurentium Kosterum typographia venditantur, in dies magis magisque fidem amittunt: quaecunque ea de re narrat Seitzius, quaeque ex historia patria pro eodem Laurentio petuntur, gratis supposita sunt: inventionum Kosteri Chronologia fabulosum est commentum ... Probabilibus argumentis apparet, Speculi Salvationis textum diu post eiusdem icones esse excusum, fortassis diu post annum 1470, quoniam eaedem icones inservierunt editioni Culemburgensi a. 1483; ita quidem ut, si Kostero aliquid tribuendum sit, solae icones illi sint adscribendae, & si liberaliores simus, Kosteri inventum eo rediisse dicamus, ut literas ligno vel alii materiae insculpere noverit, quod autem inventum toto coelo differt ab ea quae mobilibus literis exercetur typographia ... Mobilibus typis impressisse Kosterum, nec documentum ullum, nec iota docet ... Latinam Speculi editionem antiquiorem esse utraque Batavica, patet praeter alia e latinis iconum argumentis intra ipsarum aream sculptis, quae certe batavico idiomate exarata fuissent, si batavicae editioni primitus destinatae fuissent.* Cf. supra pag. 115.

f) in Epist. ad Guidonem L. II. Rer. Senil. Mém. de Comines l. c. p. 323.
g) ap. Wolf T. I. p. 548 sqq.
h) Ibid. p. 813 sqq.
i) in Derde Iubeliaer; vid. Mercier Suppl. à Marchand p. 170.
k) Hanc Epistolam e Batavico Gallice versam exhibet La Serna Diction. bibliogr. T. I. p. 14–18.

Idem tamen *Meermannus* in Originibus typographicis a. 1765 editis, patriae ut placeret suae, periculum fecit, in exornanda Kosteriana fabula quantum possint ingenii vis & eruditionis copia. Quae omnis Kosteri causa quamvis nitatur traditione illa, quam ex ore *Cornelii* bibliopegi octogenarii hausisse *Galium* adhuc puerum dicit *Iunius*, eandemque post sibi itidem puero exposuisse; eam ipsam tamen traditionem Cornelio - Iunianam Meermannus pro lubitu correxit immutavitque, adeoque ipsi Cornelio, quem alias *testem* vocat omni *exceptione maiorem*, *l*) fidem auctoritatemque detraxit, sicque Harlemensem causam, dum iuvare tentat, evertit ipse.

In limine statim monet *Meermannus*, *m*) graviter errasse *Iunium*, *Scriverium*, ceterosque omnes, qui *Laurentium* illum ex ea familia oriundum dicunt, quae *Kosteri* vel *aeditui* munus haereditario iure possederit, eaque de causa Kosterorum gens dicta sit: gentilitium enim hoc nomen nec in Chartis veteribus, nec in fastis Harlemensibus reperiri. Typographiae autem inventorem Meermannus quaerit in illo *Laurentio*, *Ioannis* filio, qui occurrit in Charta Wilhelmi Bavari, Hollandiae comitis, a. 1408, quâ hic *Laurentius*, civico tumultui involutus, sexaginta semi - aureis mulctatus est. *Laurentius Ioannis*, Harlemensis *Scabinus*, occurrit in Charta anni 1423, & in fastis a. 1428 & 1431; tanquam *Thesaurarius* a. 1426, 1430 & 1434. E *scabinali* illius *Laurentii sigillo* Meermannus colligere vult, descendisse illum *e filio notho alicuius e Brederodiae* toparchis, qui e primorum *Hollandiae comitum* stirpe prognati dicuntur. Haec omnia etiamsi essent vera, nequaquam tamen probant, *Laurentium Ioannis*, *Scabinum*, fuisse *typographum;* quorum si fuisset *primus*, hoc ipsum quoque memorassent iidem, qui illum *Scabinum* produnt, Annales.

Fusos etiam e stanno *typos* post ligneos mobiles invenisse *Laurentium* dicit *Iunius*. *Stanneos* vero typos *Moguntiae* inventos esse, testantur auctores numero & auctoritate insignes. Hos omnes

l) Orig. Typogr. P. I. p. 56.
m) Ibid. p. 38 - 48.

ut eluderet *Meermannus*. *n*) Laurentiumque suum typographiae inventorem praedicare posset, eundem fingit invenisse nonnisi *ligneos* typos mobiles: qui cum ad artis praeludia pertineant, inde factum esse dicit, ut de Laurentio inventore plane sileant Batavi Scriptores. *o*) At cum, ipso tradente *Meermanno*, a *mobilitate literarum* tota ars pendeat; mobiles ligneos typos si primus invenisset Laurentius, iisque *Speculum Salvationis* excudisset, nobilissimo hoc conterranei sui invento gloriati certe fuissent Batavi ante Iunium scriptores. De ipso *Speculo belgico* prioris editionis dicit *Scriverius*: *p*) „Nemo vero existimet, singulas literas ligno fuisse „incisas ... Res enim aliter habet: & *Iunius* accuratius ad haec „attendere debebat, si ad manum ipsi fuit *Speculum*: sin minus, „relata sunt Viro nobilissimo falsa. Primum *Laurentius* literas con„nexas ligno aut stanno incidit, deinde matricibus inventis typos „arte fusoria formavit.“

Speculi tabulas figuratas, aeque ac textum, expressisse Laurentium dicit *Iunius*: *Meermannus* contra Laurentio tribuit anno 1757 *solas figuras*, post vero anno 1765 *solam earum impressionem*, quo *Laurentii*, *eiusque haeredum* officinae adscribere posset tam *Speculum*, quam libellos illos xylographicos, supra pag. 3 sqq. recensitos, quarum figurae diversissimam manum produnt. *q*)

Iunius e *Cornelii* istius traditione narrat, perfidum ministrum *Ioannem omne Laurentii fusilium typorum choragium*, *omnemque instrumentorum herilium supellectilem* furto abstulisse, satisque innuit, *Laurentium* officinam suam tunc habuisse *pro derelicta*, nec ullos fabricasse in surreptorum locum novos typos: idem tamen *Iunius* simul asserit, e stanneorum Laurentii typorum *reliquiis* conflata esse vasa vinaria. Haec nimis absurda, secumque pugnantia, ita corrigere conatur *Meermannus*, ut *quendam tantum ligneorum typorum numerum* ex heri sui aedibus abstulisse illum *Ioannem* dicat. *r*) Venditato huic Harlemensi furto *Laurentium* fuisse *super-*

n) Ibidem p. 80 sqq.
o) Ibidem p. 68.
p) Laure-crans pag. 103. ap. Wolf T. I. p. 415 sq.
q) Vide supra pag. 7.
r) Ibid. p. 87.

stitem. cum *Iunio*, *Scriverius* aliique tradunt: *Meermannus s*) contra asserit, eundem *Laurentium ante commissum illud furtum e vivis excessisse*, quoniam iuxta eam traditionem, quam refert *Guicciardinus*, typographiae inventor Harlemensis *ante perfectam artem* obiisse dicitur: insuper fingit idem *Meermannus*, *t*) spoliatam Laurentii officinam restituisse eiusdem *haeredes*, quos dicit excudisse *Specula latina*, *belgicum* posterius, & libellos xylographicos, scilicet *Biblia Pauperum*, *Apocalypsin*, *Historiam b. Mariae*, & *Artem moriendi*, tandem diversis prorsus elegantioribusque typis impressisse *Historiam Alexandri M.* de praeliis, aliaque opuscula, quae tamen ex Ultraiectina *Ketelaerii* & *De Leempt* officina prodiisse liquido iam constat.

Sic Kosterianam fabulam mutuis telis configunt ipsi illius architecti, defensoresque acerrimi. *Laurentium Kosterum* ubi primus praedicavit *Iunius*, deficientibus rerum documentis, ea praemisit quae *Oratorem* potius quam *Historicum* decent. Ipse tamen suis diffidit artibus, quum dicit: *At vereor, ut surdis ista auribus canantur*.

Singulare *Meermanni* ingenium eo praecipue in loco elucet, ubi ab *Harlemensi* invento *Moguntinum* ac *Argentinense* derivare conatus est; quod quidem nemini observatum esse monet.

Lepidum hoc commentum Meermannus superstruit Wimphelingii cuidam loco, ubi de Typographiae inventione obiter tantum & minus curate scripsit an. 1508. *u*) Idem vero *Wimpheling*, de artis inventione ex professo agens an. 1502, *x*.) clare exposuit, *Io. Gutenbergium* Typographiam primum omnium invenisse Argentinae a. 1440, post eandem complevisse Moguntiae; in eo tamen cum pluribus aliis errans, quod Gutenbergium dixit *Argentinensem*. Post ubi rescivit, primarium hunc artis inventorem,

s) Ibid. p. 84. Supra pag. 124.
t) Ibid. p. 134 sqq. & 144.
u) in Catal. Episcoporum Argent. cap. LXXVII.
x) in Epist. rer. Germ. cap. 65.

quem iam in Epigrammate a. 1499 *y*) latine appellaverat *Ansicarum*, i. e. *Gaensfleischium*, non *Argentinensem*, sed *Moguntinum* esse; eundem diversum innuit ab inventore Argentinensi, qui descendit Moguntiam, quem ob id ipsum haud amplius vocavit *Io. Gutenbergium*, sed tantum *quendam Argentinensem*. Huius enim, fictitii quippe hominis, nomen indicare haud potuit; quem quidem dicit typographiam Argentinae invenisse, sed *incomplete*. De primario tamen inventore Moguntino, qui promiscue *Io. Gaensfleischius*, vel *Gutenbergius*, dicebatur, narrat, illius ductu typographiam Moguntiae in aedibus *Gutenberg* esse completam: eoque satis iterum innuere videtur, *Io. Gaensfleischium* unum eundemque esse cum *Io. Gutenbergio*.

De eodem primario inventore, eiusque adiutoribus Moguntiae, *Io. Fausto* & *Petro Schoeffero*, tacitis ipsorum nominibus, Wimpheling confuse ac minus curate scripsit a. 1508: *z*) „Ars impressoria inventa est a *quodam Argentinensi*, licet *incomplete*; sed „cum is Maguntiam descenderet ad *alios in hac arte investiganda* „*similiter laborantes*, ductu cuiusdam *Ioannis Gaensfleisch*, ex senio caeci, in domo Boni-montis *Gutenberg* ea ars completa & „consummata fuit.“ Negligenter haec proiecisse Wimphelingium vident omnes. Gutenbergium, Argentorato reducem, consummasse impressoriam artem socio *Fausto*, adiutoreque *Schoeffero*, certo certius est: *Faustum* & *Schoefferum*, Wimpheling indigitat per illos *alios in hac arte investiganda similiter laborantes*. Aeque certum videtur, nec hos Gutenbergii adiutores, nec alium quenquam Moguntiae, antequam eo redierat Gutenbergius an. 1445, in arte typographica investiganda laborasse; quod quidem innuit Wimpheling, ubi dicit, Typographiam Argentinae incomplete esse inventam: etenim si Moguntiae, iam ante Gutenbergii reditum, in arte investiganda laborasset aliquis; dubium maxime ipsi videri debuisset, an Argentinae impressoria ars incomplete sit inventa.

Attamen in hoc Wimphelingii loco, oscitanter scripto, *Meer-*

y) Subiuncto Memoriae Marsilii ab Ingben, Heidelbergae a. 1499. excusae, apud Koehler p. 48.

z) in Catal. Episcop. Argentin. cap. LXXVII.

mannus a) *duos* quaerit *Ioannes Gaensfleischios fratres typographos*. alterum *Seniorem*. ex senio caecum, alterum *Iuniorem*. *Gutenbergium* dictum, quem in illo inventore detexisse se putat, qui a Wimphelingio *Argentinensis quidam* appellatur. Porro fingit *Meermannus*. *b*) Seniorem illum Io. Gaensfleischium Harlemensi typographeo se addixisse famulum ante annum 1435, in eoque didicisse artem; immo esse illum ipsum infidum *Kosteri* ministrum *Ioannem*. quem *Ioannem Faustum* esse somniavit *Iunius*. quemque dixit, omnes heri sui typos totamque typographicam supellectilem, plusquam plaustri vecturam, anno 1441 una nocte abstulisse, transportasseque primum *Amstelodamum*. deinde *Coloniam*, tandem *Moguntiam*. ibique his ipsis typis libros imprimere coepisse anno 1442. Hoc ipsum perfecisse illum infidum Laurentii ministrum, idque nemine persequente, nemine coram ullo iudice querimoniam movente, fabulam sapit, qua putidior nulla unquam fingi potuit.

Huius tamen furti prorsus incredibilis patratorem *Meermannus c*) detexisse se gloriatur in illo *Ioanne Gaensfleischio Seniore*. quem memorant *Documenta* equestris familiae *Zum Iungen*. a *Koehlero* edita. *d*) Ex his vero discimus, *Ioannem Gaensfleischium Seniorem* fuisse equestris dignitatis, spectataeque inter suos probitatis virum, satis opulentum, Moguntinisque in oris semper esse versatum; eundem Moguntiae a. 1441 cognato suo *Rüdigero zum Landeck*. (ab aedibus Moguntiae sic insignitis denominato, *e*) bona ex utriusque parentis haereditate devoluta, ab ipso autem *Io. Gaensfleischio Seniore* hucusque administrata, optima fide tradidisse: *f*) unde sequitur, illum interea temporis Harlemensis typographei haud fuisse operarium. Eadem Documenta porro docent, Gaensfleischium anno 1456 testem adfuisse commodatae *Ioanni Salmano* ab *Ioanne zum Iungen* pecuniae; *g*) adeoque tunc certe

a) Orig. Typogr. P. I. p. 161 sqq.
b) Ibidem p. 90. 175. & 198.
c) Ibidem pag. 166 sqq.
d) Ehrenrettung Gutenbergs p. 67. & 73 sqq.
e) Vid. Gudenus Cod. Diplom. T. II. p. 497. 501. 536.
f) Docum. ap. Koehler p. 82. num. 18.
g) Ibidem p. 83. num. 18.

non fuit ex senio caecus; quod si postea factus est, diutius vitam protaxisse ipsum necesse est. Superstes itaque fuisset a. 1459, adeoque occurrere debuisset in superius pag. 9. memorata Gaensfleischiorum fratrum Charta, Moguntino S. Clarae monasterio illo anno concessa. *Io. Gaensfleisch Senior*, qui uxorem habuit *Catharinam*, *h*) idem *Heineckenio i*) videtur esse cum eo *Henne Gaensfleisch*, quem an. 1467 obiisse testantur dicta Documenta. Sed denatum esse *Io. Gaensfleischium Seniorem* a. 1468, sepultumque in Carthusianorum Moguntinorum sacello Cel. *Bodmannus* docuit *Oberlinum*. *k*)

Senioris Ioannis Gaensfleischii ductu si artem consummasset Ioannes Gutenbergius; in eiusdem cum Fausto societatis partes vocandus fuisset, illiusque mentio occurreret in Instrumento anni 1455, supra pag. 18. citato. Porro *Trithemius* eundem adiecisset primis tribus impressoriae artis inventoribus, *Gutenbergio*, *Fausto* ac *Schoeffero*, quos in domo *Zum Iungen* habitasse narrat; praesertim cum ipsam hanc domum a. 1443 in triennium conduxerit *Io. Gaensfleisch Senior* à sororis suae marito *Ortwino zum Iungen*. *l*) Fabulosum vero prorsus est, quod probabile dicit Meermannus, *m*) Seniorem Gaensfleischium, postquam Harlemo Moguntiam redierit, saltem ab anno 1443 *Fausti* pecunia fuisse adiutum, & sub huius quasi auspiciis artem chalcographicam invenisse; eisque circa eadem fere tempora accessisse *Io. Meidinbachium*, ac forte alios; porro a. 1444 vel sequenti his comitem se dedisse *Gutenbergium*: eamque societatem post varia opuscula xylographica tandem a. 1450 protulisse *Biblia*, sed eodem anno ruptam esse.

E supra dictis clarum est, *Ioannem Gaensfleischium Seniorem*, Io. Gutenbergii fratrem, Harlemensis officinae operarium, post Io. Gutenbergii in arte consummanda ducem, merum esse figmentum. Duos fratres *Gaensfleischios* eodem & quidem solo *Ioannis* praenomine esse appellatos, ab omni veri specie abhorret. Hal-

h) Ibidem p. 83. num. 19. & 20.
i) Ibid. p. 86 sq. num. 14. Cf. Heinecken Nachr. T. II. p. 292 sq.
k) Oberlin Essai d'annales de la vie de Gutenberg p. 41.
l) Koehler Docum. p. 67.
m) Orig. Typogr. P. I. p. 179.

lucinatur igitur *Meermannus*, *n*) ubi Gaensfleischium Seniorem respicere dicit *Epitaphium* illud, quod in Gutenbergii memoriam composuit *Adam Gelthaus*, quodque legitur ad calcem Memoriae *Marsilii ab Inghen*, editae Heidelbergae an. 1499: *Ioanni Genszfleisch, artis impressorie repertori, de omni natione & lingua optime merito in nominis sui memoriam immortalem Adam Gelthus posuit. Ossa eius in ecclesia D. Francisci Moguntina feliciter cubant.*

Gelthausii Gaensfleischiorum erant cognati. *Ort Gelthaus*, *Oppenhemii* sedens, memoratur in Documentis apud Koehlerum. *o*) Eundem *cognatum suum* vocat *Io. Gutenbergius* in Documento anni 1434. *p*) In aede S. Catharinae Moguntiae extat monumentum, in quo comparent insignia *Gelthausiorum* & *Gaensfleischiorum* gentilitia. *q*) Supradictum vero Epitaphium non ipsi Gutenbergii sepulcro fuisse insculptum, innuunt ultima verba: „Ossa eius in „ecclesia D. Francisci *Moguntina* feliciter cubant;" non, *hic* vel *in hac ecclesia* cubant. *r*) Moguntiae autem requiescere illius ossa dicuntur, quo moneatur lector, artis impressoriae repertorem fuisse *Moguntinum*. In illa Franciscanorum, post Iesuitarum ecclesia, id Epitaphium magna cura, sed frustra esse quaesitum, docet *Koehlerus*. *s*)

Ad Gaensfleischium Seniorem perperam quoque refert *Meermannus* *t*) *Wimphelingii* Epigramma, quod legitur in fine supradictae Memoriae *Marsilii ab Inghen*:

Felix ANSICARE, *per te Germania felix*
Omnibus in terris praemia laudis habet.
Urbe Moguntina, divino fulte IOANNES
Ingenio, primus imprimis aere notas.

n) Ibidem P. II. p. 205. Obiit *Marsilius* Heidelbergae a. 1394.
o) Ehrenrett. Gutenb. p. 83. num. 18.
p) ap. Schoepflinum in Docum. p. 4. ubi tamen pro *Ort Gelthus* perperam legitur *Artgeld hufs*.
q) Vid. Koehler p. 86. num. 11.
r) Heinecken Nachr. T. I. p. 299.
s) Ehrenrett. Gutenb. p. 103.
t) Orig. Typ. P. II. p. 138.

Multum religio, multum tibi Graeca sophia.
Et multum debet lingua Latina tibi.

Seniorem Io. Gaensfleischium eundem esse cum *Io. Gutenbergio* perperam crediderunt *Koehler u*) & *Schelhorn; x*) certumque est, Seniorem illum tunc temporis vixisse Moguntiae, plane diversum a *Io. Gutenbergio*, qui in sola Charta Argentinensi anni 1434 *y*) se vocat *Ioannem Gaensfleischium Iuniorem*, respectu, uti videtur, patris sui, qui etiam *Ioannis* praenomen gessit, quod clare docet documentum supra pag. 9 citatum.

Io. Gutenbergium Argentinae iam a. 1436 typographicae artis fecisse tentamina cum loquantur Documenta pag. 11. citata; hoc quoque *Argentinense* inventum ab *Harlemensi* ut derivaret *Meermannus*, e fabulis fabulas nectens finxit, Io. Gutenbergium Argentorato circa a. 1435 *Harlemum* ad fratrem suum *Seniorem* esse profectum, a quo typographicae artis quaedam arcana didicerit. *z*) Hoc enim Gutenbergii Harlemum iter verosimile esse dicit ex eo, quoniam Argentinenses Gutenbergii socii fabricaverint specula, quae Aquisgranensibus nundinis venderent, *a*) ad quas tamen nundinas ipsum Gutenbergium esse profectum, non legitur. Gutenbergio hunc fratrem in consummanda arte ducem quo adstrueret *Meermannus*, male provocat ad auctoritatem *Atkynsii*, qui anno 1664 *b*) tradidit, in bibliotheca Lambethana exstare mstum codicem, quo teste inventam Harlemi a *Io. Cuthenberg* impressoriam artem Moguntiae intulerit frater operarii cuiusdam Harlemensis. Nullum enim eiusmodi Documentum ms. ibi asservari, docet *Ducarel. c*)

Primum, fingente *Iunio*, Laurentius fecit artis periculum, dum formatis e *fagino cortice* singularibus typis, *versiculum unum atque alterum* chartae impressit, nepotibus, generi sui *Thomae Petri* li-

u) Ehrenrett. Gutenb. p. 83. & in Tab. geneal. ad p. 77.
x) in Diatr. praelim. ad Quirinum p. 15-17.
y) in Schoepflini Vind. typ. Docum. p. 3.
z) Orig. Typogr. P. I. p. 198.
a) ap. Schoepflin in Docum. p. 18. & 25.
b) The original and growth of Printing, Londini 1664. ap. Meermann P. II. p. 208.
c) Custos Lambethanae biblioth. Codd. MSS. ap. Meermann P. II. p. 6 sqq.

beris, exemplum calligraphiae futurum. Hos autem versiculos Iunius dicit, chartae impressisse Laurentium, antequam excogitaverit *atramentum impressorium*. Eundem tamen *unum atque alterum versiculum Meermannus d*) cum Enschedio prorsus inepte quaerit in reperto Harlemi *foliolo membranaceo*, quod octo pagellis, *impressorio* atramento impressis, continet *Alphabeti literas*, *orationem Dominicam*, *Symbolum Apostolorum*, tresque insuper preculas. Totum opusculum aeri incisum *Meermannus* exhibet Tab. I. monetque: „Examussim illud convenire Iunii descriptioni visum est. Instituta quippe comparatio cum prima editione *Speculi Salvationis* Belgici, & cum utriusque *Donati* Hollandici fragmentis, quae opera „*Laurentio* debentur, specimen hoc illis omnibus praecessisse evicit. In forma etenim typorum, qui manifestissime *mobiles* & sculpti quidem, utpote inaequales, & nusquam alias quod sciam, „obvii, tanta elucet simplicitas ruditasque, quae sculptorem illico prodit artis tironem. Utque de ipsa impressione verba faciam, omnes hic concurrunt vetustatis notae, &c.“ In octava huius folioli pagella literae plures, quae preli vim haud sustinuerunt, sui vestigium chartae vel plane non vel imperfecte impresserunt; quod in *Donato* etiam & *Confessionalibus*, *Ioanni Fausto* ab Accursio adscriptis, & supra pag. 25. recensitis, animadvertit Heinecken.

Hi vero omnes impressionis defectus hoc in opusculo, quod Meermannus appellat *Horarium*, produnt quidem typographum minus peritum, haud tamen evincunt, illud a Laurentio Harlemensi esse impressum. *Meermannus* tamen pergit: „Quod caput „rei est, determinare huius *Iunianae descriptionis* fide licebit, quo „fere tempore tentamen hoc *Laurentius* fecerit. *Latino* etenim, „non vernaculo, sermone illud quum ediderit; nepotes eius „oportet ad eam tum pervenisse aetatem, qua commode illius „linguae principiis imbui possent. Iis ergo si decem undecimve „annos tum adscripseris, calculus prodibit sequens... Inventae „Typographiae epocha vix anno 1430 statui potest recentior... „Ita vero confirmantur quae olim *Petr. Scriverius* tradidit, incunabula artis impressoriae decennio duodecenniove annum „1440 praecessisse.“

d) Orig. typ. P. I. pag. 76 sq.

Quae de Laurentio Harlemenſi hucusque diximus, ſatis videntur oſtendere, ea omnia, quae de eius officina typographica praedicantur, vel ficta eſſe, vel admodum dubia, quod etiam monſtravit *Heinecken* in Nachr. von Künſtlern T. I. p. 245-303. *Lambinet e*) dicit: „Je conclue avec *Chevillier*. *f*) *Fournier*. *g*) *Heinecken*. *h*) & avec la grande majorité des bibliographes inſtruits & „libres de préjugés, qu'il n'exiſte aucune preuve que Laurent „ſurnommé *Coſter*, ait été graveur, ſculpteur, imprimeur; & „qu'il eſt même douteux qu'il ait été cartier ou faiſeur d'images."

Koſterum *Heinecken* porro ſic configit: *i*) „*Carl van Mander* „deſſinateur, peintre, graveur & auteur, né à Meulebecke en „1548, s'établit enfin, après ſes voyages, vers 1585 à Harlem, „il y compoſa ſon Hiſtorie des Artiſtes, la continuant jusqu'en „1604, & la fit même imprimer dans cette ville ... D'où vient „que cet auteur, qui écrit à Harlem, peut-être vingt ans tout „au plus après *Iunius*. ne dit aucun mot du prétendu graveur „& imprimeur *Laurent Coſter*. ni des vignettes du *Speculum Salvationis*, ni des autres livres d'images, dont on attribue à préſent la gravure & l'impreſſion à ce *Coſter*? Lui qui nous donne „la vie d'*Albert van Ouwater*. de *Geertgen tot S. Jeans*. & de *Dirk* „*van Harlem*. avec le détail de leurs ouvrages, ne devroit-il „pas nous dire un mot de *Coſter* qui, ſi la chronologie de ſa „vie & de ſa mort, comme Mr. *Meermann* la donne, eſt iuſte, „a vécu à Harlem dans le même tems? *Carl van Mander* a crû „ſans doute, que ce conte de *Iunius* ne méritoit pas d'être rapporté. Cela devient d'autant plus probable, que cet auteur „n'héſite pas de dire, que la ville de *Harlem* oſe prétendre à la „gloire de l'invention de l'Imprimerie *avec aſſez de préſomption* ... „*Jâques de Jongh* dans la nouvelle édition de *Carl van Mander*. „Amſt. 1764 a changé ainſi ce paſſage: dont Harlem *avec aſſez* „*de fondement* s'attribue la première invention."

e) Recherches ſur l'origine de l'Imprim. p. 107.
f) Origine de l'Imprimerie de Paris. p. 22. & 282 ſqq.
g) Origine de l'Imprim. p. 96. 126. & 261. Obſerv. typogr. p. 40.
h) Idée p. 279. & 410.
i) Ibidem p. 281 ſqq. La Serna Dictionn. bibliogr. T. I. p. 52 ſq.

Conclamatam *Laurentianae officinae* causam perorat *La Serna k*) his verbis: „Pour suppléer au défaut de titre, les partisans de *Coster* „ont eu recours aux éditions du XV. siècle, imprimées sans date „& sans nom de lieu ni d'imprimeur, dont il existe un grand „nombre... Mr. *Meermann* n'avait garde de négliger un moyen „si aisé d'établir son système typographique, & d'assûrer par- „là, à la ville d'Harlem, l'invention de l'Imprimerie. Effective- „ment il a recours au *Speculum Salvationis*.. il s'appuie aussi de „plusieurs autres livres sans date, sans nom d'imprimeur, & sans „indication du lieu de leur impression, qu'il attribue arbitraire- „ment à son héros Laurent Coster d'Harlem: ce n'est pas tout, „à l'exemple de *Io. Christ. Seiz.* M. Meermann range *chronologi-* „*quement*, à sa fantaisie, toutes ces impressions, comme si elles „eussent été réellement exécutées par Coster, depuis l'an 1430 „jusqu'en 1440, & il le fait avec tant d'assurance, qu'on croi- „roit véritablement, que la date s'y trouve indiquée en toutes „lettres par l'imprimeur même. C'est encore par des moyens „semblables que Mr. Meermann a fait, dans ses rêves typogra- „phiques, une découverte importante, qui avait été cachée de- „puis trois siècles à tous ses prédécesseurs: il a trouvé que la pro- „totypographie de Coster n'a pas discontinué d'être en activité „après la mort de son inventeur, arrivée vers l'an 1440: car se- „lon lui, depuis cette époque jusqu'en 1472, les *heritiers de Co-* „*ster*, fils de son gendre *Thomas*, *Pierre*, *André* & *Thomas*, im- „primèrent un grand nombre d'ouvrages, malgré le malheur „qu'ils eurent d'être volés vers l'an 1459 par un domestique in- „fidèle nommé *Fréderic Corsellis*, qui avait été suborné par la „cour d'Angleterre, où il porta l'Imprimerie; de manière que „d'après cette importante découverte, imaginée par Mr. Meer- „mann, la ville d'Harlem, dont la plus ancienne impression „connue avec date n'est que de l'an 1483, acquiert tout-a-coup „la gloire d'avoir donné naissance à l'Imprimerie, & d'avoir „vû exercer cet art dans ses murs, presque sans interruption, „depuis l'an 1430 jusqu'à présent . . . D'après cela il n'est pas „étonnant de voir Mr. Meermann mécontent de ce que Scrive- „rius & autres auteurs ont écrit, que le grand Coster, poussé

k) Dictionn. Bibliographique T. I. p. 56 sqq.

„par le chagrin d'avoir été volé, aurait abandonné son atelier „typographique *l*) . . . Mr. *Meermann*, après avoir attribué arbi-„trairement au prétendu atelier typographique des héritiers de „Coster, les impressions *latines* du fameux *Speculum*, & ce qu'il „appelle la seconde édition flamande, il ajoute que les dits hé-„ritiers changèrent ensuite leurs charactères, & en firent sculpter „de plus beaux, avec les quels ils imprimèrent l'*Historia Alexan-„dri M. de praeliis* &c. *m*) Ces impressions, faites avec des caractères „qui n'ont point de ressemblance avec ceux d'aucun autre ar-„tiste connu du XV. siècle, destituées d'ailleurs des marques „indicatives du lieu de leur impression, & du nom de l'impri-„meur, ainsi que de la date, ont donné à Mr. Meermann un „moyen très-simple & très-aisé de pouvoir avancer, avec son „ton d'assurance ordinaire, comme si la chose était incontestable, „que toutes ces impressions étaient sorties de l'atelier typogra-„phique, inconnu jusqu'à présent, des prétendus héritiers de son „prototypographe... Malheureusement l'impression de ses *Ori-„gines typographicae* était déjà achevée; la planche représentant „la forme des caractères de l'imprimerie supposée des héritiers „de son héros typographe, entièrement gravée; l'enchaînement „de son systême typographique, perfectionné, quand il lui tom-„ba sous la main l'*Historia scholastica novi Testamenti*, imprimée „à Utrecht par *Nic. Ketelaer & Ger. de Leempt* in-folio, il re-„connut pour lors, quoique trop tard, que les fameuses impres-„sions qu'il avait attribuées avec tant d'assurance à la prétendue „imprimerie des héritiers de Coster, étoient toutes exécutées avec „les caractères employés par Ketelaer & De Leempt dans l'ou-„vrage sus-mentionné... Malgré l'évidence de cette vérité, Mr. „Meermann semble encore vouloir soutenir son systême, en dé-„cidant, que Nic. Ketelaer & Ger. de Leempt étoient devenus „les possesseurs des caractères de la Typographie Laurentienne... „Il est très-singulier que le nommé Laurent Coster, ayant exercé „l'Imprimerie dans la ville d'Harlem, selon le systême de Mr. „Meermann, depuis l'an 1430, qu'il en fit la découverte & que „ses petits-fils & héritiers *Pierre*, *André* & *Thomas*, morts en

l) Orig. typ. P. I. p. 134 sq.
m) Ibidem p. 144.

„1492, l'ayant continué après-lui *n.*)... il est très-singulier, „dis-je, que l'on n'ait pas encore pu nous produire un seul „ouvrage imprimé, pas une seule feuille sortie des presses de cette „fameuse *Typographie Laurentienne*, où il soit fait mention du „nom de l'imprimeur ou du lieu de son impression. Que le dit „Coster ait voulu tenir bien caché le secret de son art, tout au „commencement de sa découverte, cela ne seroit pas étonnant, „son intérêt même semblerait le demander ainsi; mais après le „prétendu vol des caractéres, fait par son domestique ouvrier, „le nommé *Jean*, après que le secret de l'art avait été divulgué, „après la publication des ouvrages imprimés depuis l'an 1457, „où l'on fait avec tant d'emphase l'honneur de l'invention de „l'Imprimerie à la ville de Mayence, que les petits fils, héritiers „de Coster, *Pierre*, *André* & *Thomas*, qui ont vécu jusqu'à l'an „1492, aient persisté dans le même systême sans se nommer „dans leurs prétendues impressions, &, ce qui plus est, sans „vouloir revendiquer, pour leur aieul, l'honneur de l'invention „de cet Art, qu'ils voyaient attribuer à d'autres; ce sont des „choses, qu'aucune personne de bon sens ne pourra jamais se „figurer. Convenons donc que la prétention de la ville d'Har„lem n'est qu'une chimére, enfantée par le récit fabuleux d'A„drianus Iunius, que les hypothèses & les conjectures de ses com„mentateurs ont rendu encore plus romanesques, & avouons „de bonne foi que le nommé *Laurent Janssoen*, illustre rejeton „des anciens comtes de Hollande, citoyen turbulent & conda„mné comme tel, échevin, magistrat, tréforier, & enfin marguil„lier d'Harlem, ne peut être regardé que comme le Don Qui„chotte du roman typographique de Mr. Meermann."

Frustra igitur cecinit *Scriverius*: *o*)

Vana quid archetypos & prela, Moguntia, iactas?
Harlemi archetypos prelaque nata scias.
Extulit hic, monstrante Deo, Laurentius artem.
Dissimulare virum hunc, dissimulare Deum est.

n) Post annum 1472 haud diu substitisse Laurentianam officinam inde colligit Meermannus, quod tabulae ligneae Speculi iam anno 1483 alium possessorem nactae fuerint, scil. Io. Veldenerum. Meermann P. I. p. 146 sq.
o) in Laure-crans, ap. Wolf T. I. p. 210.

* * *

DE PRENTERIS ANTE INVENTAM TYPOGRAPHIAM.

Cl. *Des-Roches* anno 1777 Bruxellis scripsit, *p*) nullo prorsus modo esse probatum, Laurentium Harlemensem Typographiae inventorem esse; verum e Documento Antwerpiensi anni 1442 patere, illam artem in Belgio esse exercitam, antequam in Germania sit tractata. Quin Typographiae inventorem praedicat *Ludovicum de Vaelbeke*, Brabantinum fidicinem, versus an. 1312: quo quidem asserto id ipsum passus esse videtur, quod de Iunio & Scriverio dicit: *q*) *Le patriotisme des Iunius & des Scriverius paroît avoir endormi leur critique.*

Authenticum quidem est prolatum ab eo Documentum, quod continet Decretum Senatus Antwerpiensis anni 1442 *r*) in gratiam *Sodalitatis S. Lucae*, dictae *la chambre des Peintres*, conflatae e *Schilters*, i. e. pictoribus, *Houte-Beeldsnyders*, statuariis, *Metselry-snyders*, lapicidis, *Glase-makers*, vitrariis, *Verlichters*, illuminatoribus, *Prenters*, impressoribus, quos pro typographis habet Des-Roches. At inter typographos nusquam comparent Prenterorum matriculae inscripti *Martin Gheraert* 1485, *Kerstiaen* & *Henneke* 1486: *s*) porro eadem in matricula plane non occurrunt, qui illis temporibus Antwerpiae floruerunt typographi, *Theodoricus Martini*, *Gerh. Leeu*, *Claes Leeu*, *Nic. Kesler* &c. Solus memoratur *Matthias van der Goes*, idque demum anno 1487, quamvis iam ab anno 1482 Antwerpiae typographiam exercuerit: inscriptus autem videtur tanquam figurarum sculptor; debentur enim illi *Capitula Herbarum* supra pag. 114 memorata.

Illos *Prenters*, non librorum, sed figurarum impressores fuisse, docent verba tabulae figuratae insculpta: *t*) *Gheprint t'Antwerpen by my Philleri de figursnider*, i. e. Impressa Antwerpiae apud me

p) in Mémoires de l'Acad. de Bruxelles 1777. T. I. p. 513 sqq.
q) Ibidem p. 531.
r) Ibidem p. 519.
s) Ibidem p. 520.
t) Heinecken Idée p. 197.

Philleri, figurarum sculptorem. *Breitkopf u*) monet, hos artifices in Germania sec. XV. generico nomine dictos esse *Briefmaler*. post vero numero auctos & pro diversis eorundem operis in varias classes divisos, appellatos esse *Formschneider*. *Kartenmaler*. *Briefdrucker*. *Briefmaler*. *Illuministen* &c. Horum sodalitates hodie adhuc inveniuntur Norimbergae & Augustae. In *Italia* an. 1442 eorum ars vocata est *Arte delle carte e figure stampide. x*)

Primum Typographiae inventorem *Des-Roches* se detexisse putat id *Chronico Brabantino MS. y*) anno 1350 absoluto, ubi, post aliqua memorabilia, quae contigerunt regnante Ioanne II, Brabantiae duce, qui obiit a. 1312, legitur quoddam veluti Epitaphium, docens, *Ludovicum van Vaelbeke*. Brabantinum, *Vedelare*. i. e. fidicinem, superasse omnes qui unquam fuerunt. Additur:

Hy was d'eerste die vant
Van STAMPIEN *die manieren*
Die man noch HOERT *antieren.*

Quae verba sic interpretatur Des-Roches: *Il fut le premier qui inventa la manière d'imprimer. qui est prèsentement en usage.* Melius *Breitkopf z*) in hunc sensum: „Is primus invenit *stampandi* modum, qui hodie adhuc percipitur *auribus*. ubi scilicet ad numerum musicum pede percutitur terra.

Des-Roches docet, penes ipsum esse *MS. codicem* Sec. XIV, *Vitas Sanctorum* & *Chronicon* continentem, ad cuius calcem reperitur brevis bibliothecae monasterii *Wiblingensis* Catalogus, cuius scriptura singulari modo abbreviata, sequentis seculi esse videtur. Inter illius Catalogi librorum titulos legitur aliquis, qui, si suppleantur literae haud expressae, sic sonat: *Item Dominicalia in parvo libro* STAMPATO *in papyro. non scripto.* In fine Catalogi, eadem manu adiecta est nota: *Anno Dmi. 1340 viguit qui fecit stampare Donatos.* Ex hoc MS. patere monet *Des-Roches*. stylo medii aevi *stampare* idem denotare ac imprimere libros: unde col-

u) Erfindungsgesch. der Buchdruckerkunst p. 33.
x) Vid. supra pag. 2.
y) in Differt. citata p. 525.
z) Libro citato p. 36.

ligit, *stampien* in Chronico eodem ſenſu uſurpari, adeoque iam ſeculo XIV. libros eſſe impreſſos; & *Ludovicum de Vaelbeke* principio excudiſſe forſan imagines cum inſculpta quadam ſententiola, mox vero ipſum vel alium quempiam, mobilibus ligneis typis eſſe uſum, quibus primum excuſi ſint *Donati. a*)

Confundit Des-Roches typographiam cum eo *ſtampandi* modo, quo *ſtampillis* excudebantur libri; quem in monaſteriis paſſim fuiſſe uſitatum, monet *Legipontius. b*) adſtipulante *Carpentierio. c*) qui docet, ſingulares literarum ſtampillos vocatos eſſe *literas formae. Stampatus* iſte libellus in monaſterio non *Belgii*, ſed *Sueviae* repertus, non innuit, eundem morem in Belgio prius obtinuiſſe quam in Germania. Perantiquum autem fuiſſe illum ſtampandi modum, docent tres codices *ſtampillis* exarati, & quidem uncialibus literis *aureis argenteisque in membrana purpurea:* 1. *Upſalienſis. argenteus* dictus, qui continet fragmenta *IV. Evangeliſtarum*, lingua & literis *moeſo-gothicis* uncialibus exaratus; *d*) 2. *Veronenſis IV. Evangeliſtarum latinus*, a Blanchino in Evangeliario quadruplici a. 1479 editus; 3. Pariſienſis in *S. Germani* abbatia aſſervatus, *Pſalterium* continens.

Upſalienſem codicem argenteum deſcripſit *Ihre, e*) monuitque, literas calefacto ferro impreſſas eſſe pergameno, ad eum fere modum quo bibliopegi libros titulis ornant; idque inde patere, quod impreſſa litera ab adverſa parte eſt cava, ab averſa vero convexa, & membrana, alias laeviſſima, inter literas tactu aſpera. Literarum color pluribus in locis excidit, ſcintillulae tamen argenteae aureaeve hic illic ſuperſtites apparent in literarum ſulco, qui eſt depreſſior: in literis vero, e quibus color omnis excidit, pertuſa membrana characteris formam examuſſim ſervat. *Fournier f*) exiſtimat, literas impreſſas eſſe membranae ligneis ſolutilibus typis, ſucceſſive applicatis, quum calefacti ferri applicationem toties re-

a) Des-Roches l. c. p. 527. 529. 530. 532.
b) De adornanda Bibliotheca, Norimb. 1737. p. 126 ſq.
c) in Gloſſario, Pariſiis 1766. Tom. II. p. 1071.
d) Verſionis huius auctor putatur *Ulphilas*, Gothorum in Moeſia Epiſcopus circa annum 370.
e) in Ulphila illuſtrato, Holmiae 1752. Praefat. p. B. ſq.
f) Origine de l'Imprim. p. 166.

petitam haud admisissent membranae, seseque undequaque contraxissent. Verum Ihrio suffragatur *Meermann*, *g*) qui integrum pergameni foliolum illo modo literis aureis ab utraque parte insigniri curavit. Upsaliensi codici simillimum esse *Veronensem*, eiusque literas aureas argenteasque ab una parte cavas, ab altera convexas esse, testatur *Bioernestaehl* in Epist. P. II. p. 237.

Psalterium San-Germanense, sic describit *Mabillon*: *h*) „Scriptus „est codex iste litteris *argenteis*, praeter titulos Psalmorum & „nomen Dei, quae *aureis* litteris exarata sunt. Psalterium istud „usui fuisse B. *Germano*, Parisiorum Episcopo, patrono nostro, „qui anno 571 ad superos abiit, huiusce loci vetus traditio est. De eodem *Fournier* *i*) sic: *C'est un Pseautier grand in 4to, il est en vélin couleur de pourpre; les lettres du texte sont en argent, effacées pour la plûpart en tout ou en partie; les autres sont en or, assez bien conservées, & le tout ressemble assez à la description que M. IHRE fait du livre des Evangiles. Les feuilles sont très-minces: les lettres d'ailleurs sont parfaitement semblables & très-bien formées.* Libros *in membranis purpureis, auro argentoque descriptos, vel uncialibus, ut vocant, litteris*, memorat *Hieronymus*. *k*)

Antwerpienses illos *Prenters*, sodalitatis S. Lucae, haud fuisse librorum impressores, egregie quidem ostendit *Ghesquière*: *l*) idem tamen in simili sodalitate *Brugis* instituta, & a *S. Ioh. Evang.* denominata, librorum impressorem quaerit iam circa annum 1450 in *Ioanne Britone*, calligrapho, qui in Actorum illius sodalitatis codice memoratur anno 1454, & 1491, quo e vita discessit. Ghesquierii opinio nititur versibus, qui leguntur in fine libelli 60 paginarum, cui titulus: *C'est cy la coppie de deux grands tableaux... attachiez au-dehors du choeur de l'église de N. D. de Terewane* &c.

Aspice presentis scripture gracia quae sit.
Confer opus opere: spectetur codice codex.

g) Origines Typogr. P. I. p. 4.
h) De Re Diplomatica, Lutetiae 1681. p. 356.
i) Origine de l'Imprim. p. 103 sq.
k) in Praefat. in Iobum. Tom. I. Opp. col. 1037. edit. Paris. 1609.
l) Réflexions sur deux pièces relatives à l'hist. de l'Imprim. Nivelles 1780. Esprit des Journaux, 1779. Juin.

Respice quam munde, quam terse quamque decore.
Imprimit hoc civis Brugensis Brito Iohannes.
Inveniens artem nullo monstrante mirandam.
Instrumenta quoque non minus laude stupenda.

Illud vero *imprimit* idem denotare ac calamo scribit, patet e poëmate Caesaris Malvicini ad *Spanochium*, Senensem, Sec. XVI. scriptoriae artis magistrum, qui minutissimis characteribus elegantissime scriptis excelluit, quod laudant versus sequentes, a *Mercierio m*) citati:

Quin alii in latam nequeunt traducere frontem.
Arte tua IMPRESSUM *quod brevis unguis habet.*

Libelli huius characteres, monente *La Serna n*) prorsus conformes sunt typis *Io. Veldeneri* in Fasciculo temporum a. 1476.

Praedictarum tabularum argumentum, ab Io. Gersone compositum, transscripserat *Io. Brito*, ad cuius apographum typographus integrum libellum expressit, perperam servatis versibus a Britone subiunctis. Instrumenta vero, quae invenisse Britonem iidem versus docent, ea sunt quibus utebantur calligraphi, inter quae referuntur etiam tenuissimae lamellae perforatae, quarum vacuum sistebat singulas alphabeti literas.

Brugis iam a. 1445 venditos esse libros impressos, *Ghesquière* colligit ex eo, quod in memoriali libro abbatis S. Auberti legitur, emisse illum Brugis anno 1445 pro suo nepote *Doctrinale gette en mole.* (*jetté* en moule.) Hoc vero esse Doctrinale puerorum, sive Grammaticam *Alexandri de Villa Dei*, *fixis* typis excusam, contra *Ghesquierium* ostendit *Mercier.*

Primus liber *BRUGIS* cum indicio anni excusus, observante *Lambineto*, *o*) est *Bocace de la ruine des nobles hommes & femmes* par *Colard Mansion* 1476. Idem an. 1477 excudit *Le livre de Boëce de consolation de philosophie:* & *les Metamorphoses d'Ovide moralisées* en 1484. Sine nota anni *le Jardin de Dévotion* 58 pagg. in cuius

m) in Esprit des Journaux, Novembre 1779.
n) Dictionn. bibliograph. T. I. p. 354.
o) Recherches p. 393. La Serna Dictionn. bibliograph. T. I. p. 350 sq.

fine: *Primum opus impressum per Colardum Mansion. Brugis. Laudetur omnipotens.* Cel. *Vanpraet*, Brugensis, existimat, hoc opusculum Dato carens, excusum esse anno 1472 vel 1473, inductus auctoritate Catalogi bibliothecae Harleianae Tom. V. *Mercier* scribit: *p*) „Colard Mansion donna dès 1473 les *Dits des Philosophes*. „in fol. cités dans la *Biblioth. Harleiana* Tom. V. n. 2642.“ *Vanpraet* vero monet: „J'ai vû cette édition à Lille chez Van der Cruyce, mais *sans date*.“ Idem in *Recherches sur Colard Mansion* 1780 docet: „Dès l'an 1454 il étoit membre & suppôt de la commu„nauté de S. Jean l'Evangeliste à Bruges, ou probablement il „étoit né. Cette communauté étoit composée d'écrivains, de „maîtres d'école, de *librairiers*, de *printers* (imprimeurs sur bois) „d'enlumineurs, de relieurs & de *beeldemakers* (faiseurs d'ima„ges)... Il a traduit plusieurs livres en français, & il n'a impri„mé que des livres écrits en cette langue: néanmoins mes regi„stres prouvent qu'il écrivoit fort bien le flamand.“

BRUXELLENSIS OFFICINA CLERICORUM VITAE COMMUNIS.

BRUXELLIS typographiam primum exercuerunt *Fratres & clerici vitae communis*, qua sodalitate, ut *Moshemii q*) verbis utar, „hac aetate nulla utilior rei Christianae fuit: Familia haec, sub „regula *S. Augustini militans*, instituta est seculo XIV. a pio, „bono & erudito viro *Gerhardo Groote* seu *Magno*, Daventriensi, „cuius vitam exaravit *Thomas a Kempis*; at demum a concilio „Constantiensi probata, per Belgium, inferiorem Germaniam, „aliasque provincias propagata est. Dividebatur in *fratres littera„tos* seu *Clericos*, & *illiteratos*, diversis quidem domiciliis uten„tes, verum societatis vinculo coniunctissimos. *Clerici* libris de„scribendis, litteris humanioribus, institutioni iuventutis operam „dabant, & quocunque veniebant, scholas erigebant. *Fratres* „manu laborabant, & artes mechanicas varii generis exercebant. „Utrique *religiosorum votorum expertes* erant; at victus tamen,

p) Supplem. à Marchand p. 78.
q) Institutiones Hist. Ecclesiasticae, Helmstadii 1755. p. 625 sq.

„bonorumque omnium communitatem servabant. *Sorores* eadem „fere lege vivebant, & quod vacuum ipsis manebat a precibus „& lectione tempus, id puellis erudiendis, & laboribus sexui suo „convenientibus dicabant. Celeberrimae erant hoc seculo *Cleri-* „*corum vitae communis scholae*, ex quibus prodierunt litterarum „humaniorum in Germania & Belgio instauratores fere omnes, „inter alios magnus ille *Erasmus Roterodamus*, *Alex. Hegius*, *Io.* „*Murmelius*, & reliqui. Nato Iesuitarum ordine, scholae hae olim „utilissimae desierunt florere: hodie paucae tantum supersunt. „Solebant hi fratres etiam vocabulis, tot sectis communibus, „*Beghardorum* & *Lolhardorum* appellari, & magnum odium sacer- „dotum & monachorum, quibus doctrinae ac litterae exosae „erant, sustinebant. Hos *Clericos vitae communis* magistratus ur- „bium saepe invitabant & arcessebant boni publici causa."

Lambinet r) monet: „Le successeur de Gérard le Grand, *Flo-* „*rent Radewyns*, directeur de l'école de Deventer, jeta l'an 1386 „à *Windesheim* près de Zwoll les fondemens de ce monastere, „d'où la *congrégation de Windesheim* a pris le nom. Six frères de „la vie commune y firent vêture d'habit de chanoines réguliers, „& y prononcèrent leurs voeux, selon la règle de St. Augustin. „Comme les *clercs* de la vie commune, & les *chanoines réguliers* „de la congrégation de Windesheim ont toujours été unis par „les liens de la confraternité, souvent il est arrivé qu'on les a „confondus. La *calligraphie* étoit commune aux uns & aux autres, „& formoit un des points principaux de leur institut. *Pretium labo-* „*rum manuum suarum de singularium scripturis, septimanatim exa-* „*ctum, in bursam communem reponentes.* (*Chron. Windesheimense* „pag. 6.) Le P. Héribert Rosweyde dit positivement que *Tho-* „*mas a Kempis*, élevé dans le collège des clercs à Deventer, qui „étoit regardé comme l'athénée de la Belgique vers 1394, sous „la préfecture de Florent Radewyns, copioit des manuscrits an- „ciens avec beaucoup d'habileté... Meermann dans la Table „VII. de son ouvrage le confirme par l'annonce suivante: *In-* „*cipit tabula diversorum sermonum ac epistolarum devotorumque tra-* „*ctatuum quos inter alia... compilavit dictavit titulisque ac capitulis*

r) Recherches p. 335 sqq.

„ *distinxit frater* THOMAS A KEMPIS *presbiter canonicus regularis* „ *professus ac defunctus in monte S. Agnetis prope Zwollis* &c.... On „ lit dans la Chronique de Windesheim page 126: *Totum corpus* „ *biblie in tribus voluminibus optime conscriptum, centum coronarum* „ *in valore.* Le magistrat de *Bruxelles* fit venir, vers 1410, de „ l'Over-Yssel, une colonie de ces Frères de la vie commune, „ pour leur confier l'instruction publique: il leur donna pour „ demeure et pour collège *la maison de Nazareth*... Je ne sais par „ quelle fatalité en 1519 la maison de Bruxelles fut convertie en „ école publique, même sans avoir entendu les *Frères*, qui en „ avoient fait la gloire & l'ornement. Les frères de la maison de „ Nazareth furent supprimés & réduits à une pension alimentaire."

Primus liber Bruxellis cum nota anni excusus, sed tacitis artificibus, per *Fratres vitae communis impressus*, est *Gnotosolitos*, sive *Speculum conscientiarum* an. 1476. Perperam enim *Io. Chrysostomi Homiliis* Bruxellis editis annum 1474 tribuit Catal. *Bolongaro-Crevennae*, eumque secutus *Panzer: s*) quod opus anno 1479 signatum esse docent *Lambinet t*) & *La Serna. u*) Ceteros libros a dictis *Fratribus* excusos curate recenset *Lambinet:* in his praecipue *x*) libellum anni 1484 memoratu dignum propter subscriptionem: *Legende sanctorum Henrici imperatoris & Kunegundis imperatricis virginum & coniugum summa cum diligentia impresse in famosa civitate Bruxellensi: per fratres communis vite in Nazareth.* In omnibus enim aliis horum Fratrum finalibus non occurrit eorum nomen.

Monet *Lambinet*, assentiente *La Serna: y*) „Les caractères des „ Frères de la vie commune ont une si grande ressemblance avec „ ceux de *Ther-Huernen* qui imprimoit à *Cologne* en 1471, que „ l'on croiroit, qu'ils les ont tirés de sa fonderie." Iidem Fratres *Coloniae* quoque domum habuerunt. Alii eorum sederunt in *Valle S. Mariae in Rhingavia*, a quibus a. 1474 excusum est *Psalterium breviariumque Moguntinense consummatum in domo fratrum*

s) Annales Typogr. T. I. p. 264. & T. IX. p. 219.
t) Recherches p. 354.
u) Dictionn. bibliogr. T. I. p. 357.
x) Lambinet p. 357.
y) Lambinet p. 367. La Serna p. 357 sq.

clericorum communis vite vallis sancte Marie eiusdem diocesis in Ringkavia &c. Iidem clerici *Rostochii*, z) impresserunt inter alia *Lactantii* opera anno 1476 in 4to mai. in quorum fine legitur: *Per fratres presbiteros & clericos congregationis domus viridis horti ad sanctum Michaëlem in oppido Rostochiensi* &c.

SUBLACENSIS MONASTERII OFFICINA PRIMA IN ITALIA.

Typographiam, in Germania natam, Germani, prae ceteris Europae terris, *Italiae* primum intulerunt, & quidem anno 1465 *Sublacensi* monasterio, *a*) quod agri *Romani* est; mox ipsi *Romae* anno 1467, tandem *Venetiis* anno 1469 vel praecedente. Omnibus quippe libris, extra *Moguntiam Bambergam*que cum indicio anni excusis, antiquior est *LACTANTIUS*. an. 1465 in Benedictino prope *Sublacum* oppidum monasterio, sine indicio artificum excusus per *CONR. SCHWEINHEIM b*) & *ARN. PANNARZ*. Germanos, e quorum officina an. 1467 *Romae* prodierunt *Ciceronis Epist. ad familiares*. & an. 1468 *Lactantius iterum*. immo *tertia* vice an. 1470; in qua edit. profitentur hi typographi, se Lactantium *prius semel iterumque* impressisse. Iidem *Conradus* & *Arnoldus* Martio mense 1472 iam excuderant 12475 volumina, uti docent ipsi in Epistola ad *Sixtum IV c*) Papam, quam eorum nomine scripsit *Io. Andreas*. *Aleriae* Episcopus, *d*) Vaticanae bibliothecae secretarius, quo MSS. codices subministrante, correctorisque munus exercente, libros illos e prelo suo emiserunt, inter quos fuit vastum opus *Nic. de Lira Glossae in universa Biblia* Voll. V. in fol. mai. quorum ultimo, a. 1472 excuso, praefixa est memorata Epistola ad Sixtum IV, qui a. 1471 Paulo II. successerat.

z) Panzer Annal. Typograph. T. II. p. 557.
a) Monasterium prope *Sublacum* (*Subiaco*) oppidum describit *Pius II.* cuius verba leguntur in Schelhornii notis ad Quirinum p. 74 sq.
b) Sic videtur cognominari a patria: *Schweinheim* enim est villa territorii Moguntini, quae hodie dicitur *Schwanheim*, teste Schwarz. de Orig. typ. P. III. p. 7.
c) Apud Maittaire T. I. p. 48 sq. edit. Hagensis 1719.
d) De *Andrea Aleriensi* vid. Marchand Dict. Hist. T. I. p. 20. Laire p. 28.

In hac *Alerienſis* ad *Sixtum IV* Epiſtola legitur: *Ut digneris miſericorditer occurrere, ſervuli tuae Sanctitatis* CONRADUS SWEYNHEIM *&* ARNOLDUS PANNARZ, *Impreſſores noſtri ac utiliſſimae huius fictoriae artis* PRIMI IN ITALIA OPIFICES *implorant. Vox impreſſorum ſub tanto chartarum faſce laborantium, &, niſi tua liberalitas opituletur, deficientium iſta eſt: Nos* DE GERMANIS PRIMI *tanti commodi artem in Romanam curiam tuam multo ſudore & impenſa, Deceſſoris tui tempeſtate, deveximus; nos opifices ceteros, ut idem auderent, noſtro exemplo incitavimus... Impreſſi ſunt noſtro ſtudio Libri:* DONATI *pro puerulis, unde* IMPRIMENDI INITIUM *ſumpſimus, numero trecenti; Lactantii volumina 825; Ciceronis Epiſt. ad famil. voll. 550; Epiſt. ad Atticum voll. 275; Speculi humanae vitae voll. 300; Auguſtini de Civ. Dei voll. 825; Hieronymi Epiſtolarum voll. 1100; Ciceronis de Oratore voll. 550; Eiusdem Opp. Philoſoph. voll. 550; Apuleii voll. 275; A. Gellii voll. 275; I. Caeſaris voll. 275; Virgilii voll. 550;* LIVII *voll. 275; Lucani voll. 275... Nic. de Lira voll. 1100.*
„*Horum omnium voluminum ſumma efficit codices duodecies mille quadringentos ſeptuaginta quinque.... Parati ſumus de noſtra merce*
„*i. e. de impreſſis quinternionibus noſtris tibi tot tradere quot volueris..*
„*Impenſa eſt facta a nobis in ſolius Nic. de Lyra voluminibus tanta,*
„*ut amplius nihil nobis ſuperſit ad vivendum.*"

Libri in hoc Indice memorati 28 ſunt numero; *exemplaria* vero „12475. De his obſervat *Schelhorn: e)* „Hi typographi Romani „plerorumque librorum 275 tantum effinxere exemplaria, quatuor duntaxat 300, ac unius 120. Quamvis enim in eorum Catalogo *Lactantii* volumina 825 excuſa eſſe dicantur, id tamen „de *tribus* ſimul *editionibus*, quarum *prima* in Monaſterio *Sublacenſi* a. 1465, *altera Romae* a. 1468, *tertia* ibidem a. 1470 ab „illis curata fuit, accipiendum eſt, ut uniuscuiusque editionis fuerint 275 exemplaria, quae ad unam ſummam relata efficiunt 825. „Id quod etiam obſervandum eſt de *Auguſtini* eximio opere *de* „*Civ. Dei* tribus vicibus ab illis impreſſo: idem monendum de „duabus *Ciceronis Epiſt. famil.*, *de Oratore* & *Operum Philoſophicorum*, & *Virgilii* editionibus, ubi numerus exemplarium cuiusque editionis 275 computatus efficit ſummam 550... *Hieronymi*

e) in Notis ad Quirinum de primis edition. Romanis, pag. 230.

„*Epistolae* & varii libelli, duobus Tomis comprehensi, bisque a „nostris exscripti typis, eadem ratione ad summam voluminum „1100 assurgunt. Cum totidem voluminibus constare etiam editionem *Glossarum Nic. de Lyra* in divinum Codicem ipsi typographi in suo Indice testentur, illae autem quinque Tomis absolvantur, 120 duntaxat biblici eius operis exemplaria excusa „esse, hinc apparet."

In *primos* hos in Italia *typographos* minus fuisse munificum *Paulum II. Sixti IV* praedecessorem, patet ex eiusdem *Andreae Aleriensis* Epistola *ad Sixtum IV. f)* Tomo I. Lirani, a. 1471 excuso, praemissa, in qua dicit: „*Epistolas meas cum ad Paulum II. gloriosum praedecessorem tuum, in librorum quos recognoscebam initiis scriberem, ab eo tamen lectum iri non putabam: gratis me, quod ad illum attinebat, magna ex parte laborare perspiciebam ... Praeterea haec mea est opinio, semper Principibus, qualescunque illi sint, doctorum ingenia debere in laudibus esse liberalia: fieri enim non potest, quin laudis ardore commoti, quod naturali inclinatione non facerent, id agant ad praedicationis vel fucatae de sua virtute confirmationem.*"

In *Sublacensi* igitur Monasterio diviti, cuius Administrator tunc fuit Cardinalis *Io. de Turrecremata. g)* Hispanus, Germani illi typographi primum diverterunt; grata quippe ipsis erat hospitalitas *Teutonicorum* Coenobitarum, quos eo tempore incoluisse illud Monasterium, deprehendisse se monet Cardinalis *Quirinus. h)* Ibi primum excuderunt *Donatum pro puerulis.* Donatum secuta est *princeps* illa LACTANTII editio, *i)* cum finali: *M. CCCC. LXV. Pauli II. anno II. Indict. XIII. die antepenult. Octobris in venerabili monast. Sublacensi.* fol. Character, cuius specimen exhibet Cl. *Audiffredi. k)* est romano-gothicus, sed insignis elegantiae, charta perpulcra, margines amplissimi, atramentum summae nigredinis. *l)* In huius editionis priori dimidio citata a Lactantio e Graecis auctoribus

f) apud Quirinum l. c. p. 235. Cf. Meermann P. II. p. 255.
g) Schelhorn ad Quirinum p. 75.
h) Quirinus l. c. p. 75.
i) Schwarz de Orig. Typogr. P. I. p. 30.
k) in Catal. editionum Roman. Sec. XV. Romae 1783.
l) Meermann P. II. p. 248.

loca non sunt typis expressa, relicto, ut illud calamo fieret, spatio. Eodem quo hic Lactantius charactere *m*) excusae sunt editiones *principes* tam *Ciceronis de Oratore* sine anno, loco & typographo, fol. min., quam *Augustini de Civitate Dei*, anno M. CCCC. LXVII. Pauli II. anno III, regnante Frider. III. Imp. Indict. XV. die 12 Iunii. fol. mai.

ROMANAE OFFICINAE.

ROMAE eodem anno 1467 *SCHWEINHEIM* & *PANNARZ* in domo *Petri de Maximis*, *viri magnifici*, impresserunt *principem* editionem *Ciceronis Epist. ad famil.* in 4to. charactere a Sublacensi diverso, minus elegante, proximeque accedente ad eum quo postea semper usi sunt hi typographi socii, quique *romanus* audit; donec ab a. 1474 *Pannarz solus* libros excuderet typis minutioribus ac melioribus. *n*) In fine leguntur versus, quos in aliis etiam librorum editionibus adhibuerunt iidem typographi:

Hoc Conradus opus suueynheym ordine miro
Arnoldusque simul pannarts una ede colendi
Gente theotonica: rome expediere sodales.
In domo Petri de Maximo. M. CCCC. LXVII.

Eiusdem anni 1467 die ultimo *ULRICUS HAHN*, latine *GALLUS*, natione Germanus, qui se vocat *Udalr. Gallum* alias *Han*, *Alamanum*, *ex Ingelstat*, *civem Wiennensem*, *o*) Romae excudit *Meditationes Io. de Turrecremata*, Cardinalis, depictas in ambitu ecclesiae S. Mariae de Minerva, charactere gothico grandiori, cum 34 figuris ligno incisis, quarum primam, cum specimine typorum exhibet *De Murr. p*) Ex his figuris, linearibus tantum, adeoque breviori temporis spatio absolvendis, *Meermannus*, *q*) qui easdem non vidisse fatetur, minus apte colligit, Hahnium hoc 34 foll. opusculum Romae excudere coepisse, antequam e Sublacensi

m) Panzer T. II. p. 405. Maittaire T. IV. p. 277. Meermann P. II. p. 245 sq.
n) Meermann P. II. p. 248. 253. & p. 255.
o) Vid. Panzer T. II. p. 458. num. 199. 200. & 203. Illud *Ingelstat* designare *Franconiae* vicum existimat *Denis* Bücherkunde T. I. p. 109.
p) in Memorabilibus biblioth. Norimb. P. I. p. 262.
q) P. II. p. 250 sqq. Cf. La Serna Diction. bibliogr. T. I. p. 138.

monasterio eodem advecti sint Schweinheim & Pannarz. Inter libros extra Germaniam Belgiumque cum figuris excusos, hic primus est.

An. 1468. Schweinheim & Pannarz, praeter secundam editionem tam *Lactantii* quam *Augustini de Civ. Dei*, excuderunt quoque *principem* editionem *HIERONYMI EPISTOLARUM* II. Voll. fol. Hieronymo praefixa est Epistola Andreae Aleriensis ad Paulum II, in qua monet: *r*) „Mihi satis visum est, si in recognitio„ne librorum ... si qua essent nimis *obsoleta*, ad *usum nostrum ser„monemque* redigerem. Id igitur in *A. Gellii*, id in *Irenaei* Lugd. „episcopi libris, id in plerisque aliis egi.“ Hunc Aleriensis ausum reprehendit *Rich. Simon*: *s*) *Il est surprenant que l'Auteur de l'Essai de la nouvelle Edition de S. Jérome ... crie de toute sa force contre Erasme & Marianus Victorius, qu'il traite de corrupteurs des livres de S. Jérôme, ne dise pas un mot du Bibliothècaire du Vatican, qui les avoit défigurés auparavant d'une si étrange manière, sous prétexte de les rendre plus correctes & plus intelligibles.*

Eiusdem anni 1468. ultimo mense *Ulr. Hahn* excudit *Ciceronem de Oratore* fol. Char. minut. inter goth. & rom. medio. Haec editio secunda est post Sublacensem Schweinhemii & Pannarzii sine a. l. & typ.

An. 1469. 1470. & 1471. Schweinheim & Pannarz excudere perrexerunt principes veterum Romanorum auctorum editiones. Earundem aliquas impressit Ulr. Hahn. Primis his Romae typographis anno 1470 accessit *Io. Philippus de Lignamine*, Messanensis Siculus *miles* vel eques, qui se vocat Pauli II & Sixti IV *scutiferum* & *familiarem*, & anno 1472 iam secundum annum Romae agebat. Eodem anno 1470 Romae in *S. Eusebii monasterio* typographica ars exercita est, & quidem, uti videtur, per *Georgium Lauer de Herbipoli*, *clericum illius diocesis*.

An. 1469 Ianuario mense *SCHW.* & *PANN.* excuderunt *Cice-*

r) ad Quirinum p. 108.
s) Lettres choisies Amst. 1730. Tom. I. p. 289. Laire typogr. Rom. p. 29.
t) Le Pére Martianay, Bénédictin.

ronem de Oratore, quem primum in Sublacensi monasterio sine a. l. & typ. impresserant; item *Ciceronem de Officiis*, *Amicitia*, *Senectute* &c. quae editio post Moguntinas a. 1465 & 1466 tertia est. Eodem anno 1469 excuderunt sex editiones *principes*, ex recognitione *Andreae Aleriensis*, e quibus quatuor gerunt notam anni, scilicet *Apuleius*, *A. Gellius*, *I. Caesar* & *Lucanus*. Carent quidem anni nota *Virgilius* & *LIVIUS* fol. max. sed utrumque ante *Lucanum* collocat Catalogus librorum a *Schweinheimio* & *Pannarzio* excusorum, Sixto IV. a. 1472 exhibitus: unde hunc *Livium* non licet referre ad annum 1470, quod post Fabricium, Hearnium, Clericum fecit *Laire*, *u*) cum dicit, eundem *Livium* communiter credi editum sub anno 1470. Melius *Maittaire*, card. *Quirinus* & *Freytag* illum tribuunt anno 1469. *x*)

Ante *Lucanum* prodiisse *Virgilium*, testatur *Aleriensis* in Epist. ad Paulum II. praefixa Virgilio: *y*) *A Mantuani vatis operibus Poëtarum exprimendorum initia sumus auspicati.* Ex illa *Livii* editione Epistola Aleriensis ad Paulum II. repetita est in editione *Veneta* anni 1470 per Vindel. Spirensem. *Panzerus z*) existimat, editionem *Livii* per *Schw.* & *Pann.* priorem esse ea quam Romae *Ulr. Hahn* excudit sine nota anni, curante *Campano;* monetque, hoc ipsum contra *Lairii* assertiones, non omnino contemnendas, asserere *Audiffredium*. *a*)

An. 1469 *SCHW.* & *PANN.* etiam excuderunt *Bessarionis* librum adv. *calumniatorem Platonis*; scil. adversus *Georgium Trapezuntium*, qui scripserat *Comparationem Platonis & Aristotelis.* Nota anni caret Bessarionis liber; sed Bessarionem dono misisse eundem Marsilio Ficino, testantur amoebaeae eorum Epistolae anno 1469 scriptae. *b*) Memoratis editionibus sine nota anni, & *Ciceroni ad famil.* cum nota anni 1469, subiecti sunt versus, quos in pluribus etiam libris postea impressis adhibuerunt Schweinheim & Pannarz:

u) Specimen Typographiae Romanae Sec. XV. Romae 1778. p. 161.
x) Maittaire T. IV. p. 283. Freytag Adpar. litter. T. III. p. 617.
y) ap. Quirinum p. 162.
z) Tom. II. p. 414.
a) in Catalogo edition. Roman. Romae 1783. p. 32 sqq.
b) ap. Schelhorn ad Quirinum p. 227 sqq.

gantiae an. 1471: *Impresse sunt in domo Io. Phil. de Lignamine. de Messana. scutiferi S. D. N. Pape. Rome in pinea regione. h*)

An. 1471 *SCHW.* & *PANN.* excuderunt ex recognit. Aleriensis: 1. *BIBLIORUM LATINORUM* primam editionem romanam, cum *Aristea* de LXX. Interpr. II. Voll. fol. mai. cuius editionis lectiones saepe variant a lectionibus Bibliorum Moguntin. a. 1462. 2. *Cypriani Epistolas*, ex antiquo codice Parisino ab Aleriensi transscriptas, quae editio & Veneta eiusdem anni sunt principes. 3. *Ovidii* operum II. Voll. & *Silii Italici* editiones *principes*. 4. *Calpurnii* & *Nemesiani* Eclogg. edit. primam. 5. *Ciceronis Orationum* editionem II., si non principem. 6. *Ciceronis Opera Philosophica* II. Voll. 7. *Virgilii* editionem Aleriensis *secundam*, sine nota anni, sed, uti videtur, circ a. 1471. .

An. 1471 *ULR. HAHN*, socio *Simone Cordella*, *Nicolai* filio, mercatore de Luca, impressit *Io. Tortellii Orthographiam dictionum e Graecis tractarum*. fol. In fine: *Insculptum est Rome in domo de taliacoxis sub iussu Ulrici Galli Teutonici & Simonis Nicolai Lucensis. i*) Eodem anno, sine indicio typographi, Romae impressa est *Eutropii* cum *Paulo Diacono* editio *princeps*; charactere, uti *Panzero* videtur, *k*) *GE. LAUER* de Herbipoli, qui in *S. Eusebii monasterio* an. 1472 impressit *Institutionem simplicium Confessorum*. Porro 1471 *ADAM ROT*, clericus Metensis diocesis, Romae libros excudere coepit, & quidem hoc anno *Dominicum de S. Geminiano super L. VI. Decretal.* fol. mai.

An. 1472 *SCHW.* & *PANN.* absolverunt *NIC. DE LIRA Glossas in Biblia* Voll. V. fol. mai. ex recognit. Aleriensis, quorum primum iam a. 1471 prodierat. Quinto Volumini praefixa est supra citata Epistola Aleriensis ad Sixtum IV, Schweinheimii & Pannarzii nomine scripta, una cum Catalogo librorum omnium, quos in annum 1472 usque excuderant iidem typographi, indicato simul ad singulos libros impressorum voluminum numero. *l*) Iidem typogra-

h) Panzer T. II. p. 427.
i) Panzer T. II. p. 428.
k) Ibidem.
l) Vid. supra pag. 149.

phi iterum excuderunt *LIVIUM*, *A. Gellium*, *I. Caesarem*, *Suetonium*, *Ciceronis Philippicas*, & *Apuleium*: prima vero vice *Iustinum*, *Terentium*, & *Donatum in Terentium*: tertia *Ciceronem ad famil.*, unde incipiunt editiones Schweinheimii & Pannarzii, in quibus tacetur *domus Petri de Maximis*.

An. 1472 *HAHN* & *Simon de Luca* excuderunt *L. VI. Decretal.* cum Glossis Io. Andreae, char. Text. goth. Gloss. rom. min. Finale, subscriptiones Moguntinas imitans, hoc est: *m*) *Alma in urbe Roma. Totius mundi regina & dignissima Imperatrix* (sic) *que sicut pre ceteris urbibus dignitate preest: ita ingeniosis viris est referta. non atramento. plumali calamo neque stilo ereo. sed artificiosa quadam inventione imprimendi seu caracterizandi sic effigiatum. ad dei laudem industrie est consummatum.*

An. 1473. *SCHW.* & *PANN.* excuderunt *Plinii Hist. Nat.* iterum, &c., *Martialem* prima vice. Eodem anno *HAHN* & *Simon* impresserunt *Virgilii* edit. III. Romanam; *Meditationum Io. de Turrecremata* cum figuris ligno incisis edit. II. Rom. fol. min. *Iustiniani Institutt.*, *Durandi Rationale*, & *Clementinas*, cum supra recitato finali. Porro an. 1473 *WENDEL. DE WILA*, *Theobaldus Schenkbecher*, artium liberal. magistri, & *Io. Reinhard de Eningen Constantien.* *n*) excuderunt *Pauli de Castro Consilia*, fol. mai.

An. 1474. *PANNARZ solus* d. 2. Dec. recudit *Perotti rudim. Grammatices*, *in domo Petri de Maximis*. Finale a praecedentibus diversum, e Moguntinis transscriptum est. Eodem a. 1474 *HAHN* & *Simon* impresserunt *Augustinum de Civ. Dei*, *Lactantium*, & *Decretales Gregorii IX.* quibus subiunxerunt celebre Poëma ex edit. Moguntina a. 1473, tacito fonte e quo illud hauserunt.

A. 1474. *Io. Phil. de LIGNAMINE* impressit *Chronica S. S. Pontificum Imperatorumque*. Putatur *Chronicon Ricobaldi* *o*) usque ad a. 1313, continuatum ab Io. Phil. de Lignamine. Ad a. 1458 legitur

m) Panzer T. II. p. 435 sq.
n) Panzer T. II. p. 469. num. 214.
o) Fabricii Biblioth. mediae latin. Lib. VII. p. 54. & Lib. XVII. p. 90. edit. Patav. 1754.

ille de Gutenbergio, Fausto, & Mentelio locus. Recudit idem Romae a. 1476 *Io. Schurener de Bopardia.* A. 1474 *Georgius Sachsel de Reichenhall* & *Barthol. Golsch de Hohenhart, clerici,* excuderunt *Ammiani Marcellini* editionem *principem. p*)

An. 1475 *Pannarz* impressit *Senecae Epistolarum* editionem *principem,* die 1. Febr. Quarto eiusdem mensis die obiit *Andreas Aleriensis,* qui Pannarzii officinae subministraverat MSS. codices ad examen revocatos. Eius Epitaphium extat in templo S. Petri ad vincula: *Io. An. episcopo Aleriensi gente de Buxiis, patria Viglevanensi, Sixti IV. Pontif. Max. Referendario, Bibliothecario Secretarioque, venerando Senatui ac toti ecclesiae charo, qui fuit pietate, fide, literis insignis, de patria, parentibus, amicis & omnibus bene meritus. Iacobus frater germanus pientiss. Vixit ann. 57. Obiit anni Iubilei 1475. prid. non. Febr.* Hoc Epitaphium transscribens *Ughellus q*) abbreviatam vocem *An.* perperam vertit in *Antonio.* Veram Epitaphii lectionem *Andreae,* invitante *Freytagio,* eruit Cardin. *Quirinus. r*) Eodem anno die 20. Aprilis *Pannarz* excudit *Herodotum,* interprete *Laur. Valla.* Subiecit versus, quorum ultimi:

Nam ne defuerint nostra exemplaria Rome,
Arnoldi artifices consuluere manus,
In quibus Andreas Aleriensis Episcopus olim
Extremam imposuit nec sine laude limam.

An. 1476 *PANNARZ* recudit *Hieronymi Epistolarum* Vol. *primum* fol. mai. Atque hoc ipso anno extinctus videtur insignis hic typographus. *Secundum* Volumen, eodem charactere Romano, an. 1479 excudit *Ge. Lauer. s*) A. 1478 *HAHN* tertio impressit *Io. de Turrecremata Meditationes* cum figuris ligno incisis.

Anno 1478 *ARNOLDUS BUCKINK,* Germanus, absolvit coeptam a *Conr. Schweinheim Ptolemaei Cosmographiam,* latine, cum viginti septem mappis geographicis, *aeri insculptis,* quod primum

p) Panzer T. II. p. 446.
q) in Italia sacra Tom. III. col. 504.
r) Vid. Freytag Adparatus Litter. Tom. III. p. 623.
s) Ibidem p. 463. & 472.

in hoc sculpendi genere opus est. *t*) In Praefatione legitur: „*Conr.* „*Sweinheim*, Germanus, a quo *formandorum Romae librorum ars* „*primum profecta est*.... subinde mathematicis adhibitis viris, „quemadmodum *tabulis aeneis imprimeretur*, edocuit, triennio„que in hac cura consumto, diem obiit. In cuius vigiliorum la„borumque partem non inferiori ingenio ac studio *Arnoldus Bu*„*ckink*, *e Germania*, vir apprime eruditus, ad imperfectum opus „succedens. . . immensae subtilitatis machinamenta examussim „ad unum perfecit."

Ptolemaei Cosmographiam, latine, cum figuris mathematicis, primum impresserat a. 1475 *Vicentiae* fol. *Hermannus Lichtenstein*, lat. *Levilapis*. *u*) Romanam editionem anni 1478 secuta est *Bononiensis*, *x*) extremam emendationis manum experta *Philippi Beroaldi*; qui cum natus sit a. 1453, haec editio prodire haud potuit a. 1462, quem mendose praefert finale huius editionis Bononiensis per *Dominicum de Lapis*, cum 27 mappis geographicis aeri incisis, prorsus diversis a Romanae editionis mappis. *y*) *Ulmenses* editiones prodierunt an. 1482 & 1486, cum 32 mappis geographicis ligno insculpis. *z*) *Romae Ptolemaeum* recuderunt *Petrus de Torre a*) an. 1490, cum iisdem 27 mappis, quae occurrunt in edit. an. 1478; & an. 1508 *Bernardinus Venetus de Vitalibus*, *b*) qui illis 27 mappis adiecit 7 novas. In his tribus editionibus Romanis mapparum literae, observante *Heineckenio*, *c*) calybeis archetypis malleo incusae sunt aeri, aurifabrorum more; quod idem factum esse monet in editione Bononiensi, quamvis rudius.

An. 1495 *EUCHARIUS SILBER*, *alias Frank*, *clericus Herbipolensis diocesis*, impressit *Io. Antonii Campani* Opera, *d*) *characte-*

t) Schwarz de Orig. typ. P. III. p. 8. Meermann P. I. p. 257 sq.
u) Panzer T. III. p. 507.
x) Idem T. I. p. 215.
y) Heinecken Nachr. T. I. Praefat. pag. XXVIII.
z) Panzer T. III. p. 535 sq.
a) Idem T. II p. 499.
b) Idem T. VIII. p. 248.
c) Nachr. T. I. Praef. pag. XXXI. & XXVII.
d) Panzer T. II. p. 513.

ribus Venetis. Hi characteres diversissimi sunt a Romanis, quos antea adhibuerunt Silberus, aliique Romae typographi. Idem Silber an. 1498 impressit editionem, uti videtur, originalem librorum ab *Io. Annio. Viterbiensi. e*) Dominicano, diversis auctoribus antiquis suppositorum.

Stephanus Plank. de Patavia Bavariae, clericus illius diocesis, a. 1485 excudit *Pontificale Romanum. f*) correctum ab *Io. Burkhardo. praeposito ecclesiae S. Florentii Haselacensis. Argentin. diocesis. S. D. N. Papae. ceremoniarum magistro.* Ex eiusdem *Plankii* officina prodiit anno 1489 libellus *Mirabilia Romae* perperam dictus, qui *sine titulo* incipit sic: *g*) „In isto opusculo dicitur quo„modo *Romulus* & Remus nati sunt & educati: & postea Romu„lus factus est primus Romanorum rex & conditor romane ur„bis: quomodo & quamdiu ipse & successores sui rexerunt. Et „etiam de *Imperatoribus* Romani imperii: qualiter imperaverunt „a primo Iulio Cesare usque ad tempus Constantini magni im„peratoris. Quomodo *Constantinus a lepra est curatus: & a beato „Silvestro baptizatus.* Quomodo sanctus *Constantinus* ecclesiam Ro„manam dotavit: *beato Silvestro omnibusque suis successoribus Ro„manis Pontificibus totam Italiam. omnes provincias occidentales. re„giones. loca. civitates. insulas quae circa Italiam sunt pio affectu „dedit.* De *indulgentiis* omnium ecclesiarum & reliquiis que Rome „existunt. De *stationibus* in eisdem per circulum anni."

Recuderunt hunc libellum Romae: *h*) 1. *Plank* ann. 1492 bis, 1496, 1499 & 1500. 2. *Euch. Silber* a. 1499. 3. *Martinus de Amsterdam* & *Io. Besicken* a. 1500 ter, quarum editionum tertia mihi ad manus est. Fol. 38 a. legitur: „Ad sanctum Clementem ... sub altari „maiori requiescit corpus sanctissimi *Clementis* pape & martiris... „Gelasius papa quotidie illuc venientibus xl annorum & totidem „quadragenas veniam suorum indulsit peccaminum ..... Item „habetur in serie Pontificum Rom. quod *Iohannes* anglicus post „Leonem sedit annis 2, mensibus 5, diebus 4, vacavit sedes men-

e) Ibidem pag. 517.
f) Ibidem p. 488.
g) Panzer T. II. p. 496.
h) Ibidem p. 503. 515. 519 sq.

„se uno: ut asseritur *femina* fuit, & iuvenili habitu ab amasio suo „Athenis ducta, in diversis scientiis tantum profecit, ut Rome „tandem legeret triennium & magnos magistros discipulos habe„ret, nec aliquis sibi par ibidem inveniretur: magne itaque scientie „& opinionis existens, in papatu (*sic*) concorditer eligitur: sed in „papatu per familiarem impregnatur: verum tempus partus igno„rans de sancto petro in lateranum tendens angustiata peperit „inter coliseum & sanctum clementem, & ibidem ut dicitur mor„tua fuit. Hanc viam quoniam papa obliquat, dicitur a pleris„que, quod propter detestationem facti hoc fiat, nec ponitur „in catalogo Pontificum."

Idem libellus *Germanice* excusus est Romae: *i*) 1. f. a. cum insignibus gentilitiis *Sixti IV.* qui sedit ab a. 1471 — 1484; 2. An. 1494 per *Io. Besicken* & *Sigism. Mayr;* 3. An. 1500 in gratiam advenarum Germanorum quater, scilicet bis per *Steph. Plank*, totidemque per *Martinum de Amsterdam* cum *Io. Besicken*. Ex his editionibus videre mihi licuit eam, quae habet in fine: „*Getruckt* „*zu Rom* durch maister *Steffan planck* von passaw in dem jar als „man zalt M. CCCCC. zu der Zeit des pabst Alexanders des VI. „in seinem achten Jar." In eius fol. 43. fabula de Ioanna Papissa sic habetur: „Zwischen Coliseo und sant Clement da ist ein ge„brochen kirch: da in starb *die fraw die pabst was gewesen;* sie trug „ein kint: der engel tet ir kunt ob sie wolt ewigklich verloren „werden oder zu weltlicher schand kommen, darumb das sie nit „verloren wurde erwelt sie ir schande. da sie in pabstlichen we„sen mit allen cardinalen in der procesz ging und vil folck mit „ging do genasz sie bey derselben kirchen eines kindes. Es steet „noch ein stein daran hat man ir pilde mit dem kinde gehawen."

Narrationem latinae editionis referunt etiam Chronica *Martini Poloni*, qui an. 1278. Gnesnensis archiepiscopus creatus est. Sunt quidem qui putant, his Chronicis assutam ab aliis esse illam de *Ioanna Papissa* laciniam: sed in authenticis Martini codicibus eam

i) Panzer Annalen der deutschen Litteratur p. 43. 213. 247. 248. & Zusaetze Leipz. 1802. p. 91.

reperiri testatur *Io. Domin. Mansi. k*) Eiusmodi codicem membranaceum in Moguntini capituli metropolitani bibliotheca asservatum recenset *Gudenus. l*) Alium bibliothecae monasterii *Hailsbronnensis* prope Norimbergam excitant *Hocker* & *Iungendres. m*)

Utraque, tam Latina, quam Germanica istius libelli editio, vulgo nominatur *Mirabilia Romae*, quoniam cum latinis exemplis passim compactus reperitur libellus octo foliorum, illum titulum gerens. *n*)

VENETAE OFFICINAE.

Typographiam Venetiis intulit *IOANNES DE SPIRA*, Germanus, qui ibidem excudit anno 1469 *Ciceronis Epistolas ad Familiares* cum hoc finali: *o*)

Primus in Adriaca formis impressit aënis
Urbe libros SPIRA genitus de stirpe IOHANNES:
In RELIQUIS sit quanta vides spes lector habenda
Quum LABOR hic PRIMUS calami superaverit artem.
M. CCCC. LXVIIII.

Qui hîc dicitur *labor primus*, haud esse videtur absolute intelligendus *primus*, sed tantum prior respectu *reliquorum* librorum, quos post impressurus erat Io. Spirensis, qui iam impresserat sine nota anni, sed circa annum 1468, uti putant *Chevillier*. *p*) & *Rewizky q*) *TACITI* editionem *originalem principem*, cum hoc finali:

Caesareos mores scribit Cornelius: esto
Iste tibi codex: historiae pater est.

k) in Addit. ad Fabricii biblioth. mediae Latin. L. XII. p. 44. edit. Patav. 1754.

l) in Cod. Diplom. T. II. p. 592. Titulus hic est: *Ego frater Martinus, Dni Pape Penitenciarius & Capellanus ex diversis Cronicis . . . presens opusculum usque ad Nicolaum III. Papam deduxi.*

m) *Hockeri* biblioth. Hailsbrunnensis p. 88. *Iungendres* de Notis charact. librorum ante a. 1500 impress. p. 43.

n) Panzer Annalen der deutschen Litteratur p. 43 sq.

o) Panzer T. III. p. 62.

p) Origine de l'Imprimerie de Paris p. 61.

q) Sub nomine Deltophili bibliotheca, Berolini 1794. p. 176.

Insigni quem laude feret gens postera: pressit
SPIRA premens: artis GLORIA PRIMA suae.

Idem Io. Spirensis cum nota anni 1469 porro excudit *Plinii Hist. Naturalis* editionem originalem, Harduino incognitam, in qua, obfervante *De Sallengre. r*) multae occurrunt lectiones meliores iis, quas sequitur Harduini editio, aliae vero, quibus confirmantur correctiones ab Harduino factae. *Graeca* vel omittuntur, vel latine exhibentur. *s*) Eodem anno 1469 Io. Spirensis repetiit editionem *Ciceronis Epist. ad Famil.* cum finali:

Hesperiae quondam Germanus quisque libellos
Abstulit: en plures ipse daturus adest.
Namque vir ingenio mirandus & arte IOANNES
Exscribi docuit clarius aere libros.
SPIRA favet Venetis: quarto nam mense peregit
Hoc tercentenum bis Ciceronis opus.

An. 1469 d. 18. Sept. Io. Spirensis a Senatu Veneto obtinuit *Privilegium*, a Cel. *Morellio* nuper editum, *t*) e quo transscribimus sequentia: „*Inducta est in hanc nostram inclytam civitatem ars* „*imprimendi libros per operam. studium & ingenium Magistri Ioannis* „*de Spira.* qui summa omnium commendatione impressit *Epi*„*stolas Ciceronis* & nobile opus *Plinii* de *Naturali Historia* in ma„ximo numero & pulcherrima literarum forma, pergitque quo„tidie alia praeclara volumina imprimere .... Domini Consiliarii „ad humilem & devotam supplicationem praedicti Magistri Ioan„nis .. decreverunt, ut per annos quinque proxime futuros ne„mo omnino sit, qui velit, possit, valeat, audeatve exercere „dictam artem imprimendorum librorum in hac inclyta civitate „Venetiarum, & districtu suo, nisi ipse *Magister Iohannes*" &c. Mox post concessionem huius Privilegii Ioannes Spirensis e vita discessit; unde ad marginem scriptum legitur: *Nullius est vigoris. quia obiit Magister & Auctor.* Idem Privilegium, Io. Spirensi concessum, memorat *Marinus Sanutus. u*)

r) Mémoires de Littérat. Tom. I. p. 282.
s) Panzer T. III. p. 63.
t) Vid. ibid. p. 62.
u) in Vitis Ducum Venetorum, italice scriptis, ap. Muratorium Script. Rer. Ital. Tom. XXII. col. 1198.

Ex his clarissime patet, falli eos qui contendunt, primum Venetiis typographum fuisse *Nic. Ienson*. qui ibidem impressit *Decorem puellarum* cum mendosa nota anni M. CCCC. LXI. pro LXXI., omisso altero X, uti videbimus inferius. Parum valet auctoritas *Coccii Sabellici*. qui Venetiis an. 1504 *x*) scripsit, typographiam invectam esse Italiae inter initia pontificatus *Pii II*. qui coepit a. 1458. Factum id esse demum sub pontificatu *Pauli II*. qui sedit ab an. 1464, verius testantur *Andreas Aleriensis* a. 1472, & *Io. Phil. de Lignamine* a. 1474, uti superius sub Roma vidimus.

Io. Spirensis. cum excudere iam coepisset *Aurelium Augustinum de Civ. Dei*. morte oppressus est. Librum absolvit illius frater *Vindelinus de Spira* a. 1470, subiuncto finali: *y*)

Qui docuit Venetos exscribi posse IOANNES
Mense fere trino centena volumina Plinî
Et totidem magni Ciceronis SPIRA libellos:
Coeperat Aurelî: subita sed morte peremtus
Non potuit coeptum Venetis finire volumen.
VINDELINUS adest eiusdem frater: & arte
Non minor: Adriacaque morabitur urbe.
M. CCCC. LXX.

In hoc finali *Vindelinus* de Spira ea tantum fratris sui *Ioannis* opera typographica recenset, quae *trino fere mense* & *centenis voluminibus* exaravit: hinc tacet non solum *secundam Ciceronis Epist. ad Famil.* editionem ab eodem *Ioanne quarto mense* & *ter centenis voluminibus* excusam, sed silet etiam eiusdem *Tacitum*. quem *primam artis suae gloriam* vocat *Spira*. Sunt quidem qui hunc Tacitum non *Ioanni*. sed *Vindelino* tribuunt. Ast *Vindelinus*. si post libros *Ioannis* nomine signatos excudisset hunc *Tacitum*. certe in eius finali non dixisset, *pressit Spira* premens, sed suum *Vindelini* praenomen adiecisset, ne suspensum incertumque teneret lectorem, utri Spirensium debeatur hic Tacitus: iam vero, cum huius libri impressor se *Spiram* simpliciter appellet, apparet excusum esse Tacitum eo tempore, quo Venetiis unus tantum noscebatur *Spira*

x) in Parte II. Hist. ab O. C. apud Meermann P. II. p. 149.
y) ap. Panzer T. III. p. 64.

typographus, scilicet *Ioannes*. Tacitum, a Ioanne Spirensi excusum, non memorat quidem supra citatum *Privilegium* Veneti senatus; sed id inde factum videtur, quoniam in hac editione non indicatur impressionis locus.

In primo hoc huius typographi opere ad calcem singulorum foliorum posita est sequentis folii vox prima integra, *Custodem* vocant: quem custodem in nullo antea impresso obvium, *Ioannes Spirensis* forsan invenerat in MS. codice, ad quem expressit primum hoc artis suae specimen; eundem vero *Custodem*, tanquam superfluum, omisit in sequentibus suis librorum editionibus; nec unquam eum adhibuit *Vindelinus Spirensis*.

Idem *Vindelinus* cum nota anni 1470 excudit: 1. *Sallustium, quadringentis voluminibus* in fol., recuditque anno proximo 1471. Prima Vindelini editio Sallustii de principatu contendit cum *Parisina Geringii, Kranzii* & *Friburgeri*, quae est sine nota anni. 2. *Livium* cum Praefat. *Andreae Aleriensis* ad Paulum II, quam transscripsit ex edit. Romana Schweinheimii & Pannarzii. z) *Livio* subiecti sunt versus, in quibus dicitur: *Vindelinus formis egregie impressit.* 3. *Virgilii* editionem principem secundam, post Romanam Schweinheimii & Pannarzii; cum finali:

Progenitus Spira formis monumenta maronis
Hec vindelinus scripsit apud venetos.
Laudent ergo alii polycletos parrhasiosve
Et quosvis alios id genus artifices.
Ingenuas quisquis musarum diligit artes
In primis ipsum laudibus afficiet.
Nec vero tantum quia multa volumina: quantum
Quod perpulchra simul optimaque exhibeat.

4. *Ciceronis Officia* &c. 5. *Petrarchae Sonetti* & *Trionfi* editionem originalem. Cum nota anni 1470, sine loco & typographo, excudit *Prisciani* de arte Grammatica editionem principem, & *Ciceronem ad Familiares*. Sine nota anni, circa a. 1470, *Martialis* editionem *principem*. *Curtium* & *Donatum* in *Terentium*, in quo pro vocibus *graecis* spatia vacua sunt relicta.

z) Vid. supra pag. 153.

Ex his clarissime patet, falli eos qui contendunt,
netiis typographum fuisse *Nic. Ienson.* qui ibidem
corem puellarum cum mendosa nota anni M. C
LXXI., omisso altero X, uti videbimus infe
auctoritas *Coccii Sabellici.* qui Venetiis an. 1
pographiam invectam esse Italiae inter init
qui coepit a. 1458. Factum id esse demu
li II. qui sedit ab an. 1464, verius t
a. 1472, & *Io. Phil. de Lignamine* a. 14
vidimus.

Io. Spirensis. cum excud
stinum de Civ. Dei. morte oppr
ter *Vindelinus de Spir*

Qui docuit Venetos ex
Mense fere trino cent
Et totidem magni C
Coeperat Aureli:
Non potuit coept
Vindelinu
Non minor

In hoc final
typograph
bus exar
Famil.
lumin
arti
n

... Les deux Asso-
...*nen* imprimèrent aussi de cette
.... C'étoit pour cette raison que les Li-
...es villes, qui vouloient relever le prix de leurs
..., avoient soin d'avertir qu'elles étoient faites avec des
...actères de Venise... Or les François étoient de ceux qui
faisoient de ces belles Editions de Venise... Ce fut *Nicolas Jen-*
" *son* qui vint s'établir dans cette ville-là, presque dans le même
" tems que les deux frères *Jean* & *Vendelin de Spire* y commen-
" cèrent l'Imprimerie... La vérité est, qu'au tems que Jenson

a) Vid. supra p. 110.
b) Origine de l'Imprimerie de Paris p. 60 sq. 64. 104 sq.

scilicet Ioannes. Tacitum, a Ioanne Spirensi excu-
sa quidem supra citatum Privilegium Veneti fe-
...um videtur, quoniam in hac editione non
...pographi opere ad calcem singulorum
... vox prima integra, Custodem vo-
... impressio obvium, Ioannes
... a quem expressit pri-
... Custodem, tanquam
... editionibus; nec

va à Venise on n'y avoit point encore imprimé en Gothiqu
ue les premières Impressions qu'il y fit, étoient d'une tr
Lettre ronde. Mais il est vrai aussi, que ses dernières c
fort des autres Imprimeries, qui s'étant beaucoup m
en peu de tems dans cette ville-là, introduisirent
hique. Un des plus anciens livres de ce caractere c'
le *Gratien* par *Henri Eggestein* à Strasbourg en 14
ets point de ce nombre les *demi-gothiques* qui
es écritures à la main, que *Pierre Schoffer* av
t ce tems à Mayence.

onet *Maittaire*, c) *gothicos* typos Theologia
Philosophiae, distinguendi magis quam in
avit. *Gothicus* character ante *Nicolai Ien*
norabatur, quo cum socio *Iohanne Co*
mis tamen libris cum *Ienson* tum alii
pographi eos adhibebant typos, qu
um antiquorum forma procul aberar
gothicorum crassitudinem; sed aeq
atis proportione oculos legentiu
onitos, ac *Veneti characteres* app
rum prae *romanis* Schweinheit
ire sic exponit: *d*) „Characte
i Pannarz ab aliis, quam N
inter se, distinguere multo facili
vocum litteram ſ longam usurpant, litera
rotundiore punctum non imprimunt, diphthongis abstinent:
& nitidiore gaudent forma; *Nicolaus Ienson* diphtho
ae & oe, *Iohannes Spirensis* ę pro *ae* adhibet."

De Nicolao *Ienson* docet MS. circa annum 1462 exaratum
quod protulit *De Boze*: *e*) „Dans un *ancien MS.* sur les Monnoy
de France, depuis Philippe Auguste jusqu'à Louis XI, sous
le règne de qui l'ouvrage paroît avoir été fait & écrit, à côté
l'empreinte de premières Monnoyes de ce Prince, il y a

c) Annal. typ. Tom. I. p. 40. ed. Hag. 1719.
d) Ibidem p. 58.
e) Mémoires de l'Acad. des Inscr. & Belles-Lettres T. XIV. p. 236.

Eodem anno 1470 *NICOLAUS IENSON Gallicus*, & *CHRISTOPH. WALDARFER Ratisbonensis*, Venetiis libros excudere coeperunt. His accesserunt: 1. anno 1471 *IOANNES DE COLONIA Agrippinensi*, (qui ab an. 1473 socium habuit *Ioannem Manthen* de *Gerretzheim*, *Gerrisheim*, uti videtur, in Montensi Westphaliae ducatu.) *Adamus*, & *Clemens Patavinus*, sacerdos: 2. anno 1472, *Franciscus Renner* de *Heilbrunn*, *Alemannus*, *Iacobus Rubeus* (*le Rouge*) *Gallicus*, & *Bartholomaeus Cremonensis*: 3. an. 1476 *Erhardus Ratdolt*, Augusta-Vindelicus, qui ab an. 1487 in patria Augusta typographiam exercuit: 4. anno 1482, *Ioannes Herbort de Seligenstadt*, *Alemannus*, qui primum *Patavii* ab a. 1475 libros excuderat: 5. tandem ab a. 1494 *ALDUS MANUTIUS*, *Romanus*, typographorum illius aetatis facile princeps.

Ad summum elegantiae gradum Venetiis evecta ars typographica, utriusque *Spirensis*, *Iensonis*, & *Ioannis de Colonia* potissimum industria; unde *Theodoricus Martini*, primarius Belgii typographus, an. 1474 gloriatus est: *a*) *Venetûm scita Flandrensibus affero cuncta.* Iuvat recitare *Chevillierii b*) de eadem re verba: „A *Venise* se firent „les plus belles Editions de ce premier tems. Celles que les Inventeurs de l'Art mirent au jour à Mayence, étoient d'un Caractère qui tient le milieu entre les belles Lettres & les *gothiques*, au lieu que ces premières de Venise, sont d'un très-beau „caractère rond, net, & bien formé. C'est de cette belle Lettre „dont se servirent les deux frères *Jean* & *Vendelin de Spire*, qui „portèrent les premiers l'Imprimerie à Venise ... Les deux Associés *Jean de Cologne* & *Jean Manthen* imprimèrent aussi de cette „belle Lettre en 1474 .... C'étoit pour cette raison que les Libraires des autres villes, qui vouloient relever le prix de leurs „Editions, avoient soin d'avertir qu'elles étoient faites avec des „Caractères de Venise ... Or les François étoient de ceux qui „faisoient de ces belles Editions de Venise ... Ce fut *Nicolas Jenson* qui vint s'établir dans cette ville-là, presque dans le même „tems que les deux frères *Jean* & *Vendelin de Spire* y commencèrent l'Imprimerie ... La vérité est, qu'au tems que Jenson

a) Vid. supra p. 110.
b) Origine de l'Imprimerie de Paris p. 60 sq. 64. 104 sq.

„arriva à Venise on n'y avoit point encore imprimé en Gothique,
„& que les premières Impreſſions qu'il y fit, étoient d'une très-
„belle Lettre ronde. Mais il eſt vrai auſſi, que ſes dernières ont
„ſuivi le ſort des autres Imprimeries, qui s'étant beaucoup mul-
„tipliées en peu de tems dans cette ville-là, introduiſirent la
„Lettre *gothique*. Un des plus anciens livres de ce caractere c'eſt
„le Decret de *Gratien* par *Henri Eggeſtein* à Strasbourg en 1471.
„Car je ne mets point de ce nombre les *demi-gothiques* qui re-
„preſentoient les écritures à la main, que *Pierre Schoffer* avoit
„imprimées avant ce tems à Mayence.

„Conſuetudo, monet *Maittaire.* c) *gothicos* typos Theologiae,
„Iurisprudentiae ac Philoſophiae, diſtinguendi magis quam infa-
„mandi cauſa, aſſignavit. *Gothicus* character ante *Nicolai Ienſon*
„adventum *Venetiis* ignorabatur, quo cum ſocio *Iohanne Colo-*
„*nienſi* uſus eſt. In plurimis tamen libris cum *Ienſon* tum alii ce-
„lebres apud Venetos typographi eos adhibebant typos, qui a
„rudi & exiliori *Moguntinorum* antiquorum forma procul aberant;
„necdum abierant in atram *gothicorum* craſſitudinem; ſed aequa
„nitidaque aureae mediocritatis proportione oculos legentium
„tenebant attentos iuxta & attonitos, ac *Veneti characteres* appel-
„labantur.“ *Venetorum* characterum prae *romanis* Schweinheimii
& Pannarzii praeſtantiam *Maittaire* ſic exponit: *d*) „Characteres
„Conradi Schweinheim & Arnoldi Pannarz ab aliis, quam Ni-
„colai Ienſon & Spirenſium inter ſe, diſtinguere multo facilius
„videtur. Illi in fine vocum litteram *ſ* longam uſurpant, literae *i*
„ſupernum punctum non imprimunt, diphthongis abſtinent: hi
„rotundiore & nitidiore gaudent forma; *Nicolaus Ienſon* diphthon-
„gos *ae* & *oe*. *Iohannes Spirenſis* ę pro *ae* adhibet.“

De *Nicolao Ienſon* docet MS. circa annum 1462 exaratum,
quod protulit *De Boze:* *e*) „Dans un *ancien MS.* ſur les Monnoyes
„de France, depuis Philippe Auguſte jusqu'à Louis XI, ſous le
„règne de qui l'ouvrage paroît avoir été fait & écrit, à côté de
„l'empreinte de premières Monnoyes de ce Prince, il y a de

c) Annal. typ. Tom. I. p. 40. ed. Hag. 1719.
d) Ibidem p. 58.
e) Mémoires de l'Acad. des Inſcr. & Belles-Lettres T. XIV. p. 236.

„la même main une note marginale en ces termes: Qu'ayant „ſçu qu'il y avoit à *Mayence* gens adroits à la taille des poin„çons & caractères, au moyen desquels ſe pouvoient multiplier „par l'impreſſion les plus rares Manuſcrits, le Roy curieux de „toutes telles choſes & autres, manda aux Généraux de ſes Mon„noyes y dépêcher perſonnes entendues à la dite taille, *pour „s'informer ſecrètement de l'art, & en enlever ſubtilement l'invention*: „& y fut envoyé *Nicolas Jenſon*, garçon ſaige, & l'un des bons „*graveurs de la Monnoye de Paris.*" Iam, cum *Ludovicus XI.* regnare coeperit a. 1461, hoc ipſo anno Nic. Ienſon haud potuit Venetiis emittere *Decorem Puellarum.*

„Ienſon, inquit *Laire*, *f*) circa annum 1462 in *Germaniam* „profectus eſt Typographiae diſcendae cauſa, quam ubi edoctus „fuit, ad ſuum Regem rediit (at quo anno incertum) ſuaé pe„ritiae experimenta facturus; ſed cum regnum Galliae iis tem„poribus bellis inteſtinisque diſſidiis foret agitatum, Rex conſti„tuendae Typographiae propoſitum abiecit."

Ienſon anno 1470 Venetiis charactere romano libros excudere coepit in fol. & quidem *Euſebii Praeparationem Evangelicam*, latiné, cum Verſibus:

Artis hic & fidei ſplendet mirabile numen:
Quod fama autores, auget honore deos.
Hoc Ienſon Veneta Nicolaus in urbe volumen
Prompſit: cui felix Gallica terra parens. &c.
Scire placet tempus? Mauro Chriſtophorus urbi
Dux erat: aequa animo Muſa retecta ſuo eſt.
Quid magis artificem peteret Dux Chriſtus & auctor
Tres facit aeternos ingenioſa manus.
M. CCCC. LXX.

Eodem anno 1470 impreſſit *Iuſtini*. & *Ciceronis* librorum *Rhetoricorum* & de *Inventione* editiones principes, item *Ciceronis* Epiſt. ad Atticum. Ienſoni quoque adſcribuntur *Guarini Veronenſis* Grammaticae *regulae*, in 4. die 5. Ianuarii 1470 excuſae, ſine loco &

f) Typogr. Romana p. 42.

typographo, quoniam in iis occurrunt diphthongi *ae* & *oe*, quos tamen etiam adhibuit *Adam de Ambergau* a. 1471. *g*)

Iam vero *Vindelinus Spirensis* & *Ienson* Venetiis certatim optimos impresserunt auctores, & quidem *Vindelinus* usque in annum 1477; *Ienson* usque in annum 1481, Februario enim mense anni 1482 haud amplius fuit in vivis.

An. 1471 *Vindelinus*, praeter alia, excudit in folio *Valerium Maximum*, *Sallustium* iterum, *Cypriani Epistolas* ad editionem Romanam eiusdem anni, uti videtur, expressas; porro *Bartolum super Digesto Infortiato*, char. romano, & *Ciceronem* de *Natura Deorum*, de *Divinatione*, de *Fato*, de *Legibus*, item *Academicas Quaestiones*, cum versibus Iovenzonii:

Spira tuum nomen toto celebrabitur orbe:
Quae Vindelini diceris esse parens.
Ordine qui tanto Ciceronis opuscula magni
Imprimit: ut fabrum Palladis esse putes &c.

Ienson vero an. 1471 impressit in folio, praeter alia, *Cornelii Nepotis* editionem principem, *Ciceronem ad Familiares*, *I. Caesarem*, *Suetonium*, & *QUINTILIANUM*, *h*) elegantissime excusum, cum finali: *Quintilianum eloquentiae fontem, ab eruditissimo Omnibono Leoniceno emendatum M. Nicol. Ienson Gallicus viventibus posterisque miro impressit artificio* &c. Praefixa est Epistola *Omniboni*, in qua legitur: „Accedebant iustae preces *Nicolai Ienson*, Gallici, alte„rius, ut vere dicam, Daedali, qui *librariae artis mirabilis inven*„*tor*, non ut scribantur calamo libri, sed veluti gemma impri„mantur ac prope sigillo, *primus omnium* ingeniose monstravit.“ Quibus verbis Iensonem pro primo typographicae artis inventore venditari, existimarunt aliqui, in his auctor *Chronici Coloniensis* 1499, qui *Omnibonum* hac in re manifesti mendacii arguit, additque: „Etenim adhuc in vivis supersunt qui testari possunt, „Venetiis libros excusos fuisse, priusquam Nicol. Ienson eo esset „delatus.“

g) Panzer T. III. p. 68. Conf. infra p. 172.
h) Schwarz de Orig. Typogr. P. II. p. 50. Maittaire T. IV. p. 6. & 304.

Eodem anno 1471 *Ienson* excudit quatuor libellos *Italice* scriptos, *i*) omnes eodem charactere Romano, eademque charta, & forma quarta. Hi sunt: 1. *Luctus Christianorum ex passione Christi.* In fine: *A Christi nativitate Anno M. CCCC. LXXI. pridie nonas apriles a preclarissimo librorum exsculptore Nicolao gallico. impressa est passio christi dulcissima.* 2. *Decor Puellarum.* in quo citatur *Luctus Christianorum.* tanquam ante iam impressus; 3. *Palma Virtutum.* In fine: *Opus Nic. Ienson Gallici M. CCCC. LXXI.* 4. *Devota Christo Anima.* In fine: *M. CCCC. LXXI. per Nic. Ienson Gallicum.* His additur *Gloria Mulierum.* sine nota anni, loci, & typographi, at circa a. 1471 excusa.

Decor Puellarum habet in fine: *Anno a Christi incarnatione MCCCCLXXI per Magistrum NICOLAUM IENSON hoc opus quod Puellarum Decor dicitur feliciter impressum est.* In huius vero libelli Dato a. 1461 perperam legitur *LXI* pro *LXXI;* cum supra demonstratum sit, typographiam anno demum 1468 vel 1469 Venetiis illatam per *Ioannem Spirensem.* Nullus certe occurrit ante annum 1470 a Iensone impressus liber; nec credere fas est, tam praestantis typographi officinam per integrum cessasse novennium. Similia vitia in aliorum etiam librorum Datis commisit idem *Ienson.* artifex alioquin praestantissimus; v. gr. in *Ioannis Carthusiensis* Tract. *de Humilitate. millesimum* tantum & *centesimos* annos indicat, reliquis omissis, sic: *M. CCCC. pridie nonas Iulias.* In eiusdem *Ioannis Sermone ad Fratres suos Carthusienses* abundat quintum C sic: *MCCCCCC nonas Iulias. k*) Simile quoque in Dato vitium, *omisso altero X.* illustris alius *Venetiis* typographus, *Erh. Ratdolt.* admisit in *Mataratii* opusculo scribens: *M. CCCC. LXVIII.: qui error.* inquit *Maittaire. l*) *est manifestus pro LXXVIII.* Sic quoque *Io. Phil. de Lignamine* in *Vita Ferdinandi regis* habet: *MCCCCLXII* (pro *LXXII*) *Sixti IV. anno primo. m*)

Ienson. si anno iam 1461 libros excudisset Venetiis; nec *Io. de Spira* perfrictae adeo frontis fuisset, ut a. 1469 primum se pro-

i) Panzer T. III. p. 74 sq.
k) Panzer T. III. p. 151.
l) Annales Typogr. T. IV. p. 391.
m) Panzer T. II. p. 435.

fiteretur Venetiis typographum, nec hebes adeo Ienſon, ut tam impudens Io. Spirenſis mendacium ſilentio ſuo probaret. Attamen mendoſum Datum *Decoris Puellarum*. decepiſſe videtur *Coccium Sabellicum*. *n*) eoque recentiorem *Petrum Iuſtinianum*. *o*) ut ſcriberent, typographiam Moguntiae ab Io. Gutenbergio inventam, illatam eſſe Italiae intra annos 1457 & 1461. Idem *Coccius*. craſſo errore, Nicolaum Ienſon dicit *Teutonicum*: & *Marinus Sanutus*, *p*) patritius Venetus, circa annum 1463 ſcripſit, eundem Nic. Ienſon eſſe *Germanum* illum, qui Typographiam Venetiis intulit, ex qua demum urbe per totam Italiam fuerit propagata.

His tamen teſtibus parum idoneis & mendoſo *Decoris Puellarum* Dato fidem adhibuit *Maittaire*. *q*) patriae amore deceptus, *r*) uti obſervat *Laire*. *s*) Contra vero Ioannem Spirenſem primum fuiſſe Venetiis typographum oſtenderunt *De Boze t*) & Catal. biblioth. *Smithianae* a. 1755, cuius verba recitat *Schelhorn*. *u*) Mox autem an. 1756 *Paitoni x*) Venetiis pro Nic. Ienſon & Dato *Decoris puellarum* ſtetit, cuius argumenta parum ponderis habere cenſuerunt *Meermann y*) & *Mercier*. *z*) Paitonio tamen aſſenſi ſunt *Crevenna a*) *Kinderling b*) & *Boni*. refragantibus Cl. *Lairio*. *Mittarellio*. *Morellio*. & *Deniſio*. qui a. 1794 Viennae edidit *Suffragium pro Io. de Spira primo Venetiarum typographo*. *c*) quod quidem ſuffragium firmatur ſupra citato Senatus Veneti privilegio.

n) in Hiſt. univ. Venetiis 1504. ap. Meermann P. II. p. 149. & p. 231 ſq.
o) in Hiſt. Veneta. Venetiis 1576. ap. Maittaire T. IV. p. 6.
p) in Muratorii Script. Rer. Italicarum T. XXII. col. 1168.
q) Tom. IV. p. 6. & 182.
r) Maittaire T. I. p. 41. & 31. ipſe profitetur, amore patriae vinci ſe, in Anglia licet exulem, beneficiisque cumulatum.
s) Typographia Romana p. 34.
t) in Mémoires de l'Acad. des Inſcr. & Belles-Lettres T. XIV. p. 232 ſqq.
u) in Notis ad Quirinum p. 98 ſq.
x) Vid. Laire Typogr. Rom. p. 35 ſqq.
y) Orig. Typ. T. II. p. 258.
z) Supplem. à Marchand p. 37.
a) in Catal. raiſonné. Amſt. 1776. T. II. p. 61 ſqq.
b) in Meuſel Magazin T. II. p. 65 ſqq.
c) Vid. Panzer T. III. p. 75.

Anno 1471 excuderunt charactere romano: 1. *Christoph.* WALDARFER, correctore usus Ludov. *Carbone* sive *Kohl.* Germano, editiones principes *Plinii Epistolarum*, sine loco & typographo, & *Servii* in Virgilium; item *Dicamerone del Boccacio*. & *Ciceronis Orationes*, cum finali:

Aspice, quam mira libros impresserit arte,
Quam subito veterum tot monumenta dedit
Nomine Christophorus Valdarfer gentis alumnus:
Ratisponensis gloria magna soli. &c.

2. *IOANNES DE COLONIA* Agrippina *Terentium*, & *Ciceronem de Finibus*. 3. *Clemens Patavinus*, sacerdos, *Io. Mesue de medicinis universalibus*, cum Praefat. *Nic. Gupalatini*, in qua monetur: *d*) „*Clemens Patavinus* cum neminem tale opificium operantem unquam „perspexerit, suo perspicaci ingenio, elementis quibusdam tantum huius artis perceptis, reliqua consummatissime reperiens, „*Italorum primus* libros hac arte formavit." 4. *ADAM* de *Ambergau*, *e*) Bavarus, a) *Lactantium* eleganti char. rom. diphthongis *ae* & *oe* per unam literam ex duabus conflatam expressis, uti monet *Schelhorn*: *f*) unde huic *Adamo* forsan adscribendae sunt supra recensitae *Guarini* Regulae, Nicolao Ienson tributae. Finale sic terminatur:

Presserat hunc primo mundi caput inclyta Roma
Post regina premit quippe colenda maris.

b) *Virgilii* libros, cum finali:

Nos igitur peperit patrem qui nomine primum
Retulit alter Adam: formis quos pressit ahenis.

c) *Ciceronis Orationes* anno 1472 sine nota loci, cum finali: *Ambergau natus ahenis impressit formis ecce magister Adam.*

An. 1472 impresserunt: 1. *VINDEL. Lactantium* cum versibus transscriptis ex editione Adami; & *Catulli*, *Tibulli* & *Propertii* edit. principem. 2. *IENSON* editiones principes *Tusculan. Quaestionum*, *Macrobii* & *Rei Rusticae* scriptorum, item *Plinii* Hist. Natur. & *A.*

d) Ibidem p. 81.
e) *Ambergau* Bavariae pagus est circa fluviolum *Amber*, qui Isarae iungitur.
f) Schelhorn ad Quirinum p. 82. & Amoen. litter. T. I. p. 312 sq.

Gellium. 3. *Io.* DE *COLONIA* cum *VINDEL.* principem *Plauti* editionem. 4. *Franc.* RENNER de *Heilbrunn*, Alemannus, *Rob. de Licio Quadragesimale*, char. rom. minusculo nitidissimo. Eodem anno 1472 lucem vidit *Ausonii* editio princeps, sine nota typographi.

An. 1473 prodierunt e prelo: 1. Nic. *IENSON*, princeps *Solini* editio. 2. *RENNERI* & *Nicolai de Francfordia*, *Sermones de Sanctis*, *quos*, uti fert titulus, *compilavit Leonardus de Utino a. 1446... impressi quoque sunt Venetiis 1473.* Perperam opinati sunt aliqui, hos sermones excusos esse an. 1446, quo eos compilavit auctor, uti iam monuit *Maittaire.* g)

An. 1474 excuderunt: 1. *VINDELINUS*. *Nic. Panormitanum in Decretales*, cum finali:

Abbatis pars prima, notis quae fulget ahenis,
Est Vindelini pressa labore mei;
Cuius ego ingenium de vertice Palladis ortum
Crediderim: veniam tu mihi, Spira, dabis.

2. *IO.* DE *COLONIA* & *Manthen*, *Sallustium*, *Festum* de Verborum signif. *Ciceronis Officia*, & *Orat. Philipp. Valerium Max.* & *Calderinum* in Martialem. 3. *IAC. RUBEUS* (*le Rouge*) *Ovidii* Opera cum finali:... *Haec Veneta qui gallicus urbe Iacobus impressit, mirae condidit artis opus.* An. 1475. *Virgilium* cum comment. *Servii*, & *Iuvenalem* c. comm. Calderini.

A. 1475 impresserunt: 1. *IENSON Decretales Gregorii IX.* correctore Franc. *Colucia*, qui Nic. Ienson vocat *impressoriae artis principem*, & auctoritate Pont. Max. *Comitem Palatinum*; item *Diogenem Laërtium*, latine, ex recognit. *Bened. Brognoli*, qui eundem Ienson dicit „*ceteris omnibus eius artificii magistris multum* „*antecedere*, & ea esse industria, probitate, religione aliisque vir„tutibus, ut ad illustrium virorum & summi Pontificis familia„ritatem pervenerit: porro *Augustinum de Civ. Dei* char. goth. *Virgilium*, *Cicer. ad Fam.* & *Le Legende di tutti li Sancti*, e latino *Iacobi de Voragine*, char. rom. fol. 2. *RENNER* & *Nic. de Francf.*

g) Maittaire T. IV. p. 330.

Biblia Latina char. goth. min. recusa an. 1476, quo IENSON excudit *Biblia Latina* char. goth. *Festum* vero & *Nonium* de Verbor. signif. char. rom.

An. 1476 *Erhardus* RATDOLT, Augusta Vindelicus, Venetiis typographiam exercere coepit usque in annum 1486, quo in patriam rediit, uti sub Augusta videbimus. Inclaruit hic potissimum excusis mathematicis libris, quos nemo fere alius typographorum attingere ausus est. Impressit an. 1476 *Ioannis de Monte regio* (Io. Mülleri de Koenigsberg Franconiae) *Calendarium* foll. 32. in folio, sociis *Bern. Maler* de Augusta, & *Petro Loslein* de Langenzenn. Excusum est illud ad editionem Norimbergensem eiusdem anni; char. nitido semi-gothico, cum figuris; paginae primae margines floribus decoratae sunt. Tum an. 1477 *Appianum* & *Dionysium* de Situ orbis, latine, char. rom., initial. literis florentibus.

An. 1477 e VINDELINI prelo prodierunt *Petri Lombardi Sententiarum* princeps editio, & *La divina Comedia di Dante Alighieri. cioe Inferno. Purgatorio e Paradiso.* char. goth. min. Post hunc annum nullus noscitur per *Vindelinum* excusus liber. *Naudé h*) monet: „Il y avoit comme presse, à qui lui donneroit des *Epi*„*grammes* pour mettre sur ses Livres, desquelles je rapporte celle: „*Abbatis pars prima* &c." uti supra. *Vindelinum* post exercitam in Italia typographiam, in patria plures libros excudisse, sine teste contendit *Naudé.*

An. 1478 impresserunt: 1. RATDOLT cum sociis *Calendarium Germanicum* ab a. 1475-1513, examussim expressum ad Regiomontani edit. Norimbergensem, item *Melam* & *Artem bene moriendi.* omnes char. rom. initial. litter. florent. 2. *Io.* DE COLONIA & *Io. Manthen. Lactantium* & *Bartolum* super II. P. Digesti, cum versibus: ... *Ioannes quem magni genuit preclara Colonia Rheni. elysiis certe dignus post funera campis.* inventas propter iustus si est Iuppiter *artes* &c. 3. RENNER *Melam. Dionysium* de Situ orbis, latine, & *Io. de Sacrobusto Sphaeram mundi.* cum figg. astron. 4. IENSON *Breviarium Romanum.* In fine *Ienson* vocatur *hac nostra tempestate impressorum princeps.* Idem excudit *Biblia Latina* a. 1479.

h) in Addit. à l'Hist. de Louis XI. ap. Marchand P. II. p. 92.

An. 1479 *Io. de Colonia* & *Manthen* impresserunt *Platinae de vita Pontif. Roman.* editionem origin., repetitam anno 1480, quo *Ratdolt* excudit *Fasciculum Temporum* cum figg. ligno incisis, recusum annis sqq. An. 1481 prodierunt *Biblia Latina* cum postillis *Nic. de Lira.* IV. Voll. char. goth. cum finali: Hoc opus impressum *charactere iucundissimo* cura *Ioh. de Colonia. Nic. Ienson sociorumque.* Eadem verba leguntur in *Decretalibus Gregorii IX.* aliisque libris eodem anno excusis, superadditis his: „Huius„ce operis artifex extitit *Ioannes de Selgenstat* Alemanus, qui di„vo imprimendi charactere facile supereminet omnes." Hic primum *Patavii* an. 1475 typographiam exercuit. Iidem typographi socii excuderunt *Io. Duns Scotum* super *Sententiarum* libros.

An. 1482 post obitum *Nic. Ienson* prodiit *Nic. Panormitanus super Decretales.* char. goth. In fine: „Exactum opus inclytis in„strumentis famosisque litterarum characteribus optimi *quondam* „in hac arte magistri *Nic. Ienson* Gallici, quo nihil praestantius, „nihil melius, nihilve dignius. Curam vero ac diligentiam adhi„buit *Andreas de Asula.* tertio nonas *februarias.*"

An. 1482 *Ratdolt* typis exscripsit goth. 1. *Euclidis* *l*) editionem *primam.* latine, char. nitidissimo, cum figuris geometricis. In Epist. dedicat. dicit: „Mea industria non sine maximo „labore effeci, ut qua facilitate litterarum elementa imprimun„tur, ea etiam *geometricae figurae* conficerentur.... Hoc *nostro* „*invento* mathemata voluminum copia brevi illustrabuntur." 2. *Io. de Sacro Busto* Sphaeram, subiunctis *Io. de Monteregio* disputat. contra Gerardi Cremonensis Theoricas Planetarum, cum *Ge. Purbachii* Theoricis in motus Planetarum. 3. *Melam* & *Hygini* poëticon astronomicum, recusum a. 1485. 4. *Kalendarium Io. de Monte regio.* In fronte: „In laudem operis huius preclari a Iohanne de „monte regio editi, germanorum decore & nostrae aetatis *Astro*„*nomorum principe* carmina &c.:

Cui dedit ingenium divina potentia; & artes
Qui bene daedalias solus in orbe tenet;
Hoc Augustensis Ratdolt germanus Erhardus
Dispositis signis undique pressit opus. &c.

l) Maittaire T. IV. p. 434. Kaestner de prima *Euclidis* editione. Lipf. 1750.

An. 1483 excuderunt: 1. *RATDOLT*. *Eusebii Chronicon*, interprete *Hieronymo*, continuatum ab eodem, a *Prospero* & *Palmerio*: & *Alphonsi* regis *coelestium motuum* tabulas, utrumque opus char. goth. literis initial. florentibus. 2. *Io. Herbort de Selgenstat*. *Biblia Latina*, char. quidem goth. sed, quod finale dicit, *expolitis litterarum characteribus* Iohannis, dicti *magni* (corpore scil.) *Herbort*. Ante finale leguntur versus: *Fontibus ex Graecis* &c. qui iam occurrunt in Bibliis an. 1479, 1481 & 1482 sine loco & typographo excusis, uti sub Basilea videbimus. 3. *Octavianus Scotus*. *Blondi* Hist. Roman. 4. *Bernardinus de Benaliis*, editionem originalem *Iac. Philippi Bergomensis* Supplementi Chronicorum.

An. 1485 *RATDOLT* impressit *Breviarium Augustanum*, ductus amore patriae, in quam rediit anno sequente. An. 1487 prodiit *Baldus in Codicem*, in cuius Praefat. monetur, „procusum esse a „fida *SOCIETATE VENETA litteris divine sculptis ac conflatis* in„genio acutissimi Gallici *Nic. Ienson*.“ Eodem anno *Coccii Sabellici* Res Venetae excusae sunt per *Andream de Toresanis de Asula*. *Coccii Hist. ab O. C.* porro impresserunt an. 1498 *Bernardinus* & *Matthaeus* Veneti. Secundam partem a. 1504. *Bernardinus Vercellensis*.

An. 1490 Venetiis officinam parare coepit *ALDUS PIUS MANUTIUS*, Romanus, *) qui graecae latinaeque linguae peritia, ac priscorum auctorum, *graecorum* praecipue, editionibus, ad sanae critices regulas exactis, palmam praeripuit omnibus suae vel praecedentis aetatis typographis. Ipse scribit a. 1496: *k*) „Dura provincia est „emendate imprimere *Latinos* libros; durior accurate *Graecos*: „durissima non depravate vel hos vel illos duris temporibus, qui„bus magis *arma* quam *libri* tractantur. *l*) Postquam suscepi hanc

*) Modo *Romanum* se dicit, modo *Bassianatem* a patria *Bassiano*, oppido prope Velitras. Vid. Renouard Annales de l'Imprimerie des Alde. Paris 1803. Tom. II. p. 2. *Pii* nomen assumsit Aldus ab *Alberto Pio*, Carporum principe, quem litteris erudiendum susceperat, in familiam adoptatus, a quo opibus assidue se adiutum gratus profitetur. Vid. eius Epistolam, Aristotelis Physicis praefixam.

k) in Praefat. Thesauri Cornucopiae, ap. Maittaire T. IV. p. 69.

l) in Epist. praefixa Aristotelis Organo a. 1495. Anno 1494. Carolus VIII. Galliae rex, superatis Alpibus, Italia potiri conatus erat.

„ duram provinciam, *annus* enim iam agitur *septimus*, possem iure-„iurando affirmare, me tot annos ne horam quidem solidae ha-„buisse quietis. An. 1503 *m*) scribit: *Mille* & amplius boni ali-„cuius auctoris volumina singulo quoque mense emittimus ex „Academia nostra.“ Unde *Erasmus* dicit: *n*) „*Aldus* bibliothe-„cam molitur, cuius non alia septa sint quam ipsius orbis.“ Que-ritur tamen idem in Epist. ad Campegium, *o*) ex *Aldina* officina praeter profanos auctores adhuc non ita multum prodiisse.

Maittaire p) monet: „Licet ante *Aldum Mediolani*, *Florentiae* & „*Venetiis Graece* excudi coeptum fuerit, ipse unus editionum „numero omnes priores vicit Typographos. Urbs *Veneta* Typogra-„phorum numero hactenus a prima artis origine alias omnes su-„peravit. Tandem effecit *Aldus*, ut sese ipsa superaverit, & quic-„quid ante praestitum fuerat, minimum sit, si ad herculeos „*Aldi* & *Aldinae familiae* per multos postea annos labores confe-„ratur.“

M. Musurus in Epistola praefixa *Aldi Grammaticae Graecae*, quam post auctoris obitum edidit a. 1515: *q*) „*Aldus Manutius* publicas „rationes privatis anteposuit, nulli sumptui parcens, nullum pror-„sus laborem detrectans, propriae tam pecuniae profusus, quam „vitae prodigus extitit, ut communi studiosorum utilitati pro-„spiceret.“ Ipse *Aldus* a. 1495 fatetur, *r*) se habere complures co-adiutores viros doctissimos, quorum auxilio libri ipsius exirent quam emendatissimi: in quibus erat Alex. *Bondinus*, *Graecarum* literarum doctissimus. Anno 1497 scribit: *s*) „Hoc vere queo di-„cere, quicquid meo labore formis excuditur, *ipsis exemplaribus* „*longe correctius* ac magis perfectum exire ex aedibus nostris.“

m) in Praefat. *Euripidis*, ap. Maittaire Tom. II. p. 164.
n) in Adagiis, Tit. *Festinatio praepropera*, ap. Maittaire T. II. p. 45.
o) T. III. Opp. P. I. col. 594. ed. Clerici.
p) Tom. IV. p. 71.
q) ap. Maittaire T. II. p. 53.
r) in Epist. praefixa Organo Aristotelis ap. Maittaire T. IV. p. 76.
s) in Epist. praefixa Physicis Aristotelis, ap. Maittaire T. I. p. 242.

Z

Et an. 1513: *t*) „Etsi opere in magno fas est obrepere somnum, „(hic enim noster labor multorum annorum est, atque interim „nec mora nec requies) sic tamen doleo, ut, si possem, *muta-* „*rem singula errata numo aureo.*"

Imprimendorum librorum provinciam suscepisse se scribit *Aldus u*) eodem anno, quo vexari bello coepit Italia, i. e. anno 1494. Primus liber, qui ex eius prelo prodiit, esse putatur *Musaeus x*) graece & latine, sine nota anni, curante Marco *Musuro.* Successerunt anno 1494 & 1495 *Lascaris Grammatica*, gr. & latine; *Theodori Gazae* Grammatica graece; *Theocriti* cum *Hesiodo* &c. & *Aristotelis Organi* editiones graecae principes. Concessum est Aldo, ne quis queat imprimere neque hunc librum, neque ceteros quos is ipse impresserit, neque eius uti invento.

An. 1496 ex Aldi officina prodiit *Thesaurus Cornucopiae* grammaticus. Hunc secuta a. 1497 & 1498 *ARISTOTELIS* Operum Voll. II. III. IV. & V. iuvante Bondino; *Iamblichus* de mysteriis, & *Proclus* cett. latine, & *Dictionarium Graeco-Lat.* tum *Nic. Leonicensis* de morbo quem *gallicum* vocant, & *Aristophanis* graece editiones primae, cum praefat. & scholiis *M. Musuri.* item *Angeli Politiani* opera. *Psalterium. graece.* Psalmorum literis initialibus florentibus, sine nota anni, singulari artificio ab *Aldo* rubro nigroque colore impressum, Renouard existimat excusum esse post Dictionarium, i. e. intra annos 1497 & 1498. Anno 1499 excudit *Epistolas* graecas *Basilii M.*, *Libanii*, *Aeschinis*, *Isocratis* &c. Scriptorum Astronom. *Iulii Firmici*, *Manilii* &c. editionem principem, & *Hypnerotomachiam Poliphili* (Franc. Columnae,) *ubi humana omnia non nisi somnium esse docet*, *italice* cum figuris ligno incisis. *C'est une suite de descriptions pittoresques, d'idées architecturales; souvent neuves & ingénieuses, qui décèlent une assez grande connoissance des beaux arts*, dicit Cl. Renouard T. I. p. 29.

An. 1501. ab eodem excusi: *Poëtae Christiani veteres*, *Pruden-*

t) in Epist. ad Leonem X. praefixa Platonis Opp. Graece. ap. Maittaire T. II. p. 245.

u) in Praefat. ad Stephanum de Urbibus a. 1502. ap. Maittaire T. II. p. 160.

x) Maittaire T. I. p. 233. Panzer T. III. p. 495.

tius. Sedulius. Iuvencus. Arator &c. II. Voll. rarissimis; *y*) *Philostrati* vita Apollonii Tyanaei, & *Eusebius* contra Hieroclem, graece & lat.; *Virgilius*: primus liber impressus charactere *italico*, qui *Aldinus* dictus. Eius sculptor laudatur his versibus:

Qui Graiis dedit Aldus, en latinis
Dat nunc grammata sculpta daedaleis
Francisci manibus Bononiensis.

An. 1502 Aldus a Senatu Veneto privilegium obtinuit in decennium, ne quis alius Venetae ditionis audeat *graece* imprimere, nec latinarum literarum characteres, quos vulgo *cursivos* & *cancellarios* dicunt, facere, contrafacere aut imitari. Hoc in Privilegio memoratur, *Aldum* magnos passum esse labores iisdem utriusque linguae characteribus inveniendis effingendisque, ut *optimi scriptoris manum imitarentur*. Simile Privilegium Aldo concesserunt Summi Pontifices *Alexander VI*. a. 1502, *Iulius II*. & *Leo X*. a. 1513. *z*)

Neque tamen infitiandum est, charactere hoc Italico oculis longe gratiorem esse Venetum. „Ce Caractere *Italique*, inquit *Chevil*-„*lier* pag. 115. n'est point bon pour les gros ouvrages; l'avan-„tage que l'imprimerie en tire, c'est qu'il est propre à faire di-„stinguer les Titres des Chapitres, les Citations, les Passages, & „les petites pièces qu'on y rapporte... On ne voit plus d'édi-„tions considérables faites purement de lettre *Italique*. Encore y „a-t-il des Auteurs qui même pour ces petites pièces ne veulent „point s'en servir, parcequ'elle fait toujours plus de peine à lire; „& n'employent pour les distinguer que la lettre courante mar-„quée de Guillemets."

Auctores *literis parvis* s. *cursivis* a se iam impressos ipse enumerat Aldus in Epistola ad Reuchlinum, a. 1502 d. 18. Augusti data, quae legitur inter illustrium Virorum ad eundem Reuchlinum Epistolas, Hagenoae 1519. fol. 37. Sunt illi: *Virgilius. Horatius. Iuvenalis. Persius. Martialis. Lucanus. Catullus. Tibullus. Propertius*. & *Epistolae famil. Marci Tullii*; quibus propediem accessuri sint *Ovi*-

y) Quorum secundum prodiit anno sq. 1502.
z) Quatuor haec Privilegia integra leguntur apud Renouard T. II. p. 135 sq.

dius, *Statius*, & *Valerius Maximus*, tum temporis ſub prelo ſudantes.

An. 1502 *Aldus* porro excudit principes editiones graecas *Thucydidis*, *Sophoclis*, *Herodoti*, *Iulii Pollucis* Onomaſtici, & *Stephani de Urbibus*. Ad *Sophoclem* monet *Renouard:* „Les éditions *Aldines* „ne ſont pas de ſimples curioſités, dont la ſeule rareté fait le „prix. Faites preſque toutes d'après d'excellens manuſcrits, par „le ſavant *Alde* & autres habiles coopérateurs, elles ſont les ſources „précieuſes, auxquelles il faut le plus ſouvent recourir, pour „rétablir les textes défigurés depuis par des éditeurs ignorans ou „téméraires, ou tout au moins négligens."

An. 1503 ex eiusdem officina prodierunt: 1. *Euripidis* graeci editio integra princeps; 2. *Luciani* opera, de quibus *Renouard:* „C'eſt une des plus mauvaiſes éditions qu'Alde ait publiées. Il „paroît qu'il ne tint pas compte de conſulter la première édi-„tion de *Florence*, 1496, qui eſt bien ſupérieure à celle-ci." 3. *Xenophontis* Res Graecorum cum *Herodiano*, graece. 4. *Origenis Homiliae* in Geneſin &c. latine, *Hieronymo* interprete, quae, uti monet Praefatio, lucem videre doctrina ac ſtudio *Aldi Manutii*, *impenſis vero Andreae Aſulani*. Huius *Andreae Toreſani de Aſola*, *a*) Typographi apud Venetos, filiam *Aldus* duxerat uxorem circa annum 1500.

An. 1504 excudit *Homeri* opera, & *Demoſthenem*, graece; tum *Gregorii Nazianzeni* carmina, graece & lat., quae conſtituunt III. Volumen *Poëtarum Chriſtianorum*. Anno 1505 *Aeſopi* & *Gabriae Fabellas*, graece & lat. cum *Palaephato* aliisque. Item *Virgilium* iterum.

An. 1508. menſe *Septembri ex aedibus Aldi* prodierunt *ERASMI* Roterodami *Adagia*, quorum, inquit *Eraſmus b*) „crebrae prodie-„runt editiones non ſine novis auctariis. Primam dedimus Lu-„tetiae a. 1500 per *Io. Philippum*, Alemanum: hanc poſt aemu-„latus eſt *Iod. Badius*, deinde *Matthias Schurerius* Argentorati:

a) *Aſola* Tarviſianae marchiae oppidum eſt.
b) in Praefat. Adagiorum ad Philologos, edit. Frobenii.

„post haec opus ad iusti Voluminis magnitudinem adauctum *Ve-*
„*netiae* edidimus apud Aldum Manutium an. 1508. *Aldinam* edi-
„tionem me inscio aemulatus est Basileae *Io. Frobenius*, a quo
„plus septies excusum est idem opus, at nunquam sine accessio-
„nibus." ... Et in ipsis Adagiis: *c*) „Cum apud *Italos* ederem
„*Proverbiorum* opus, homo *Batavus*, quotquot illic aderant eru-
„diti, ultro suppeditabant auctores nondum per Typographos
„evulgatos, quos mihi suspicabantur usui futuros: *Aldus* nihil
„habebat in thesauro suo, quod non communicaret. Idem fecit
„*Io. Lascaris*, Bapt. *Egnatius*, Marcus *Musurus*, Frater *Urbanus*.
„Quorundam officium sensi, quos nec de facie nec de nomine
„noveram . . . *Proverbiorum* collectionis, titulo *Apostolii*, copiam
„nobis fecit *Hieronymus Aleander*... Simul utrique sumus ag-
„gressi; ego scribere, *Aldus* excudere."

Apud *Aldum* eiusque socerum *Andream Asulanum Erasmo* per decem menses hospitium fuit, quod festive pingit in Dialogo, quem inscripsit *Opulentia Sordida*, ubi per *Orthrogonum* designari *Aldum*, & sub *Antronii* nomine *Andreae Asulani* mores perstringi, observatum est. *d*) Hoc in Dialogo dicit *Erasmus*: „Me non tam
„offendebat ciborum *exiguitas*, quam *corruptio*. Duo ova pote-
„rant sufficere, si fuissent recens nata: vini cyathus erat satis,
„nisi pro vino daretur fex vapida: dimidium panis aluisset, nisi
„pro pane daretur argilla. — Adeone sordidum esse *Antronium*
„in tantis opibus? — Arbitror censum illius non fuisse infra octo-
„ginta ducatorum millia; nec ullus erat annus, quo non acce-
„deret lucrum mille ducatorum, ut dicam parcissime." In *Eras-mum* tamen adeo invectus est *Scaliger*, *e*) ut diceret, *illum semi-hominis saltem operam in Aldi officinâ legendo praestitisse*, *potando autem tergemini Geryonis*. Alienum ab Aldo animum porro produnt haec Erasmi verba: *f*) „Bentinus contulit quaedam loca a me cita-
„ta ex Graeco Homero ab Aldo excuso, item ex *Cicerone Aldi-*
„*no*, quum Aldina sint depravatissima." Item illa: *g*) „Officina

c) Titulo *Festinatio Praepropera* p. 243. edit. Francof. 1629.
d) Vid. *Rivinus* in Orat. secul. Lipsiae 1640. apud Wolf T. I. p. 914.
e) in Oratione pro Cicerone contra *Erasmum*, Lutetiae 1531.
f) in Epist. ad Goclenium, in Vita Erasmi, Lugd. Bat. 1649. pag. 173 sq.
g) in Epist. ad Amicos Lectores Tom. III. Opp. col. 1518. ed. Clerici.

„*Veneta* dedit nobis *Festum Pompeium* egregie depravatum. Non „insimulo *Aldum:* solet ille tales operas alicui paedagogo com„mittere.“ Contra parum favisse Erasmo Venetos hos typographos, monet *Renouard: h*) „*Alde* & ses successeurs, lorsqu'ils „eurent occasion de réimprimer quelqu'opuscule d'*Erasme*, le „nommèrent presque toujours *Transalpinus quidam homo*, ce qui „ne marque pas une grande considération.“ Ad *Erasmum* tamen scripsit *Andreas Mulanus* vel *Asulanus* a. 1517: *i*) „Nosti quantum „temporis consumsit in emendando *Terentio Aldus*, gener meus „suavissimus ... tum in *Plauto*, quanta usus est industria, in qua „enim re *tu multum illum adiutasti:* usus est enim te quasi con„glutinatore *Latinae Sirenis:* hos vellem edere studiosis omni„bus. Patere igitur me uti hoc tuo beneficio, oro te per maie„statem *Latini* nominis, cuius tu semper fuisti studiosissimus, ad „me mittas si quicquam est, qui sit codex antiquus, quo possi„mus uti nostri codicis quasi magistro, aut si quicquam est aliud „apud te, quod possit nostrum munus expolire: nihil omittere „volumus ad rem conficiendam cum accurate, tum eleganter, „quo bonorum omnium in nos studia augeantur.“

An. 1508 prodierunt: 1. *Plinii Epistolae*, primus liber, quo Aldi cum socero societas sic indicatur: *k*) *in aedibus Aldi & Andreae Asulani soceri.* 2. *Rhetores Graeci*, quorum Volumen II. impressum est a. 1509, quo etiam lucem viderunt *Plutarchi Opera moralia*, graece, *Horatius* correctior quam a. 1501, & *Sallustius*. Annis 1510 & 1511 cessavit Aldi officina propter causam mox indicandam.

An. 1513. impressa est *Pindari* cum *Dionysio de Situ Orbis* &c. princeps editio, graece, charactere perpulcro, & grandiori, quam in reliquis Aldi editionibus in 8. Intermissi per biennium laboris causam *Aldus* tradit in Praefat. *l*) ad *Andr. Naugerium*, senatorem Venetum, unum e doctis illis Aldinae officinae adiutoribus: „Coge„bar *abesse Venetiis*: ut agros & pretiosa praedia nostra, quae ami„simus, recuperaremus. Verum cum nihil proficeremus, atque in-

h) Tom. II. p. 26.
i) in Erasmi Epist. Tom. III. Opp. col. 1666. Add. infra p. 186.
k) Renouard T. I. p. 43. & 88.
l) ap. Maittaire T. II. p. 248.

„tegrascere incendia belli viderentur, revertimus *Venetias*, quas „*Athenas* alteras hoc tempore possumus dicere, cum propter alios „plurimos singulari doctrina praeditos viros, tum propter *Musurum* nostrum, cuius hortatu & tuo ad labores redii." Anno 1513 porro prodierunt *I. Caesar* cum figuris, *Rhetorum Graecorum Orationes* cum *Isocrate*. Vol. III. inprimis *PLATONIS* operum omnium, *graece*, editio *princeps*, ex recognitione *Musuri*, Cretensis, cum *Aldi* Praefat. ad Leonem X, *m*) in qua inter alia legitur: „Eruditis videor *Hercules*, quod nullis succumbens labo„ribus, iam plus unus iuverim rem litterariam, quam simul om„nes quotquot fuere multis saeculis. Ita me amant de tantis labo„ribus, ut nunc coram, nunc accuratis literis laudando obtun„dant. Sed non ego credulus illis. Nullum enim adhuc dedi li„brum, in quo *mihi satisfecerim*."

An. 1514 prodierunt: 1. *Suidae* editio secunda post *Mediolan.* a. 1499. 2. *Ciceronis libri Oratorii;* in quorum Praefatione refert *Aldus Epigramma*, quod supra ianuas conclavis sui poni curaverat: *Quisquis es, rogat te Aldus etiam atque etiam, ut, si quid est quod a se velis, perpaucis agas, deinde actutum abeas, nisi tanquam Hercules defesso Atlanti veneris suppositurus humeros. Semper enim erit quod & tu agas, & quotquot huc attulerint pedes.* 3. *Libri de Re Rustica.* An. 1515. Aldus dedit *Lucretium* cura *Naugerii* emendatiorem, *Lactantium*, ex recognit. *Egnatii*, *Ovidii* libros de Amore, & *Erasmi MORIAE encomium.*

Obiit Aldus an. 1515, & quidem, referente *Erasmo*, *n*) haud multo minor annis *septuaginta*, sed tamen *animo ad literas mire iuvenili*. Illius *Grammaticam Graecam* eodem adhuc anno edidit M. *Musurus*, eidemque in Praefat. sic parentavit: *o*) „Refugiebat „animus & quodam inusitato torpore captus abhorrebat saevae „illius ac damnosae mortis mentionem, quae nobis *Aldum* be„nevolum parentem, benignumque fautorem eripuit; quae *bo„nis literis ac disciplinis* in lucem paulatim emergentibus *tenebras* „*iterum offundere visa est*. Quod enim nunc ego in hac alma ci„vitate... Graeciae priscos Auctores enarrem frequenti audito-

m) Maittaire ibidem p. 245.
n) in Epist. ad Gaverum T. III. Opp. col. 788.
o) ap. Renouard T. I. p. 121.

„rio iuvenum nobilissimorum ... id totum non solum illustrissi-
„mo *Senatui Veneto*, qui bonarum literarum cultores amplissimis
„praemiis semper fovit, ac liberaliter evexit; verum etiam *Aldo*
„*Manutio*, qui libros studiosae iuventuti suppeditavit, a me re-
„ferri debet acceptum. (Confer supra pag. 177.) Prolem *Andreae*
„*Asulano*, spectatae probitatis viro, commendavit ... qui summa
„charitate nepotes e filia *pupillos* curat educandos. Mihi vero filio-
„lam parvulam (*Grammaticam Graecam*) tradidit expoliendam.

In quibusdam editionibus Graeco - Latinis *p*) Aldus singularem excogitavit rationem Graecis associandi Latinam versionem, ut haec & addi & amoveri possit pro arbitrio legentis. Ipsius Aldi Opuscula recenset *Renouard*. *q*)

Ab anno 1501 Aldinae editiones ornari coeperunt insigni typographico, quod est *Anchorae* circumtortus *Delphinus*, addita voce *Aldus*. Hoc insigne iam meditatus erat anno 1499, ubi scripsit: *r*) Semper habeo comites, ut oportere aiunt, *Delphinum* & *Ancoram*. Nam & dedimus multa *cunctando*, & damus *assidue*. Le *Dauphin* désigne la vîtesse, à cause de la rapidité avec la quelle il fend les ondes: l'*ancre* est une marque de repos & aussi de solidité, monet *Renouard*. *s*)

Extincti *Aldi* officinam continuavit socer eius *Andreas Asulanus* cum filiis *Francisco* & *Friderico*, usque in annum 1529, quo e vita excessit *Andreas*, servata editionum subscriptione: *in aedibus Aldi & Andreae Asulani soceri*. *Asulanus* in Praef. ad Ovidii Libros Amatorios an. 1515 scribit: „*Aldus*, quamvis omnium bonarum
„artium peritissimus ... quoties libros aliquot editurus erat, si
„quos noverat qui in illis elaborassent, eos adhibebat, atque
„eorum opera in his castigandis maxime utebatur. Idem mihi
„ego ... faciendum existimavi." An. 1516 ex Asulani officina

p) in *Gregorii Nazianz*. Carmin. 1504. in *Aesopi* fabellis 1505. & in *Lascaris* Grammatica 1512. Maittaire T. II. p. 49 sq. Chevillier p. 237.

q) Tom. II. p. 33 sqq.

r) in Epist. ad Albertum Pium praefixa *Proclo* inter Script. Astron. ap. Maittaire T. I. p. 253 sq.

s) Tom. II. p. 59 sq.

prodierunt *Gregorii Nazianzeni* Orationes lectiſſimae, graece, curante *Muſuro*, e cuius Praefatione *t*) ſingulare quoddam diſcimus, de quo ſilent omnes Aldi editiones: „Iam pridem a me cautum „eſt, ut e publica *graecarum literarum officina*, *cui*, liberalitate „beneficioque Veneti Senatus *tredecim iam annis praeſidemus*, prod„eant non qui ſapientiam inſipientem inſolentes oſtentent, ſed „qui non minus ex pia Dei veneratione probari quam a litte„ratura commendari ſe cupiunt.

Aſulanus dedit editiones *graecas principes:* an. 1516 *Pauſaniae*, curante *Muſuro*, & *Strabonis;* an. 1518 *Aeſchyli;* an. 1525 *Galeni* operum omnium, V. Voll. in fol.; an. 1526 *Hippocratis*. An. 1518 menſe Februario excudit *BIBLIA VET. ET NOVI TESTAM. Graeca:* in quorum Praefat. dicit: *u*) „Ego multis *vetuſtiſſimis Exemplari„bus collatis*, adhibita etiam quorundam eruditiſſimorum homi„num cura, Biblia Graece cuncta deſcripſi." *Polyglotta* quidem *Complutenſia* iam fuerunt impreſſa an. 1517, ſed extincto Card. Ximenio, demum publici iuris facta ſunt an. 1520, quo impetratum eſt Pont. Max. Diploma. *x*) An. 1529 Aſulanus in quarta forma excudit *Auguſtini Steuchi* Recognitionem *Veteris Teſtam.* ad hebraicam veritatem, ubi monſtrantur loca, quae in edit. *Latina* & *Graeca* diſcrepant a codd. Hebraeorum: „Imprimé, dit *Re„nouard*, avec un petit caractère romain, mêlé de grec, & d'*hé„breu très-beau.*"

Poſt excuſum *Pauſaniam* an. 1516, menſe Iulio, nata eſt inter *Aſulanum* & *Muſurum* diſcordia. *Muſuri* cura *Florentiae* an. 1515 apud Phil. *Iuntam* prodierat *Oppianus* de Piſcibus. Hunc dum recudit *Franciſcus Aſulanus* 1517, in Praefat. ad Lectorem monuit: *y*) „In hac editione operam dedimus, ut talem caſtiga„tionis ... perſpiceres diligentiam, qualem ... *depravatio ſupe„rioris editionis quae alibi eſt facta*, merebatur." *z*) Eodem anno

t) ap. Maittaire T. II. p. 278. & Renouard T. I. p. 128.
u) ap. Maittaire T. II. p. 311.
x) Le Long Biblioth. Sacra. Tom. I. p. 10. edit. 1723.
y) ap. Maittaire T. II. p. 303.
z) *Renouard* contra: Il a d'autant plus tort, que l'édition de *Junta* vaut beaucoup mieux que la ſienne, dans la quelle il a corrompu le texte toutes les fois qu'il s'eſt écarté des leçons de celle qu'il déprécie.

1517 *Andreas Asulanus* ad *Erasmum* scripsit: „Nihil praeclarius „mecum agi nunquam duxi antehac, tunc cum muniti eramus „*vestris studiis*.... Nosti *M. Musurum* cooptatum in collegium „Pontificum, proinde locum istum vacuum esse... Nemo est „melius quam tu ipse qui possit hoc munus implere... Si ita „sentis, de te *rhetore conducendo*, vel *Graeco* vel *Latino*, refere- „mus ad CCC viros: is enim ordo est qui praeest his negotiis „curandis." Cf. supra pag. 182. An. 1518 Asulanus excudit *Pacis Querelam* cum aliis *Erasmi* Opusculis.

Post *Andreae Asulani* obitum an. 1529 cessavit *Aldina* officina usque in annum 1533, propter natam, uti videtur, inter *Asulani* & *Aldi* liberos discordiam. *a*) An. 1533 iterum ex illa officina prodierunt libri cum subscriptione: *in aedibus haeredum Aldi & Andreae Soceri*. Officinam moderatus est *Paulus Manutius*, *Aldi* filius, cui an. 1574 defuncto successit *Aldus Iunior*, qui iam per plures annos, quibus pater Romae degebat, officinam rexerat. Obiit a. 1597. De tribus Manutiis sic *Rocha*: *b*)

Aldus *Manutius* Senior *moritura Latina*
Graecaque restituit mortua ferme typis.
Paulus *restituit calamo monumenta Quiritum*,
Utque alter Cicero *scripta diserta dedit.*
Aldus *dum iuvenis miratur avumque patremque*,
Filius atque nepos, *est avus atque pater*.

Hebraicorum librorum editionibus inclaruit Venetiis officina *Danielis* BOMBERGII. Is an. 1517 & 1518 excudit *Biblia Hebraica*, cum comment. *Rabbinorum* Voll. IV. in fol. curante *Felice Prasensi*. Ex-Iudaeo, omissis Rabbinorum contra Christianam religionem locis, quae vero in sequentibus editionibus restituta sunt. *Secundam* editionem, priori praestantiorem, emisit an. 1525 & 1526, curante R. *Iacobo ben Chaiim*. Continet etiam *Masoram maiorem* & *minorem*, *Paraphrases chaldaicas* & Comment. plurium Rabbinorum. Recusa sunt haec *Biblia* an. 1548 & 1568. Idem Bomberg an. 1518 in forma quarta impressit *Biblia Hebraica* II. Voll.

a) Renouard T. II. p. 74. P. Manutius ap. Maittaire T. III. p. 499.
b) Thuanus sub finem a. 1574 & 1597. ap. Maittaire T. III. p. 533.

recuſa annis 1521, 1525, 1528 & 1533. *c*) *Talmudem Babylonicum* Voll. XII. in folio dedit an. 1520.

COLONIENSES OFFICINAE.

Coloniae Agrippinae iam ante annum 1466 Typographiam exercuit ULRICUS ZELL, Hanovienſis, qui ipſe ſe dicit Coloniae *protocharagmaticum. d*) Hunc non *Fauſti*, ſed *Gutenbergii* fuiſſe diſcipulum, inde colligitur, quod ex eiusdem Zellii ore Colonienſis Chronici an. 1499 impreſſi auctor refert, Typographiae Moguntiae circa an. 1440 *inventae* & an. 1450 *perfectae* primum repertorem eſſe *Ioannem Gutenberg*, tacito *Io. Fauſto*. Extat inſignis numerus librorum ſine anno, loco & typographo excuſorum *e*) eodem charactere, quo *Ulr. Zell* anno 1466 & 1467 impreſſit duos libellos, quorum alter, *S. Auguſtino* perperam adſcriptus, hoc gerit finale, quod aeri inciſum exhibet *Meermann: f*) *Explicit liber beati auguſtini epiſcopi de ſingularitate clericorum. Per me Olricum Zel de hanau clericum dioceſ. Moguntinen. A. C. ſexageſimo ſeptimo.* Alter, *Io. Chryſoſtomum* ſuper Pſalmo 50 exhibens, in fine ſic habet: *Per me Ulr. Zell de Hanau clericum dioceſis Moguntin. Anno dni milleſimo quadringenteſimo ſexto*, omiſſo *ſexageſimo. g*) Etenim *ſeptuageſimo* vel *octuageſimo* &c. ſubintelligendum eſſe credere non licet, quoniam ab anno 1473 Ulr. Zell haud amplius ſe appellavit *clericum Moguntinenſis dioceſis*, ſed *artis impreſſoriae magiſtrum*, uti patet ex finali *Rob. de Licio* Quadrageſimalis an 1473. per Ulr. Zell impreſſi. *h*)

Circa annum fere 1461, quo e Moguntino typographeo profectus *Alb. Pfiſter* Bambergae libros impreſſit, *Ulr. Zell Coloniae* typographiam intuliſſe videtur. *i*) Hoc innuit *Colonienſe Chronicon*.

c) De Bombergianis Bibl. Hebr. edition. vid. Rich. Simon Hiſt. crit. du Texte du Vieux Teſt. p. 512 ſq.
d) in finali Tractat. Petri Hiſpani a. 1492. ap. Panzer T. I. p. 304.
e) Hos recenſet Panzer T. I. p. 325-335.
f) Orig. Typ. P. II. Tab. IX.
g) Panzer T. IV. p. 271.
h) Idem T. I. p. 275.
i) Panzer Annal. Tom. I. p. 274.

dum memorat, typographicam artem Moguntia primo delatam esse Coloniam. Zellii typi, *Mercierio k*) & *Panzero l*) observantibus, non sculpti sed fusi, nitore ad Moguntinos Fausti proxime accedunt. His typis excusa sunt Zellii *BIBLIA LATINA* 42. lin. in col. sine anno, loco & typographo, rubricis librorum & columnarum impressis. Eundem anno adhuc 1499 typographiam exercuisse Coloniae, testatur Colon. Chronicon. *m*)

Coloniae tunc etiam floruerunt: 1. *Arnoldus THER-HOERNEN*, qui monente *La Serna n*) an. 1471 in libro *De Remediis utriusque fortunae* primus adhibuit *cifras* foliorum seriem indicantes, superiori paginarum anteriorum orae affixas. Hae cifrae Sec. XV. raro adhibitae sunt, unde in computando foliorum numero saepius erratum est. Idem a. 1471 excudit *Gerh. de Schueren Teutonistam*, sive Vocabularium Latino-Teutonicum dialecti Germaniae inferioris, & a. 1474 *Fasciculum Temporum* cum figuris ligno incisis, 2. *Io. KOELHOFF de Lübeck*, qui ingentem librorum numerum impressit; in his *Io. Gersonis Operum* III. Voll. in fol. min. primam forsan editionem, & *Chronicon Coloniense* anno 1499 excusum. In *Nideri Praeceptorio div. Legis* an. 1472, *primus*, uti contendit *La Serna*, *o*) adhibuit *Signaturas*, plagularum seriem indicantes. Comparent quidem hae *Signaturae* in *Mammotrecto*, *p*) quem in *Beronensi* Ergoviae monasterio, *q*) (*Münster im Argau*) impressit eiusdem Canonicus *Elias de Laufen*, transscriptis e finali editionis *Moguntinae* an. 1470 pluribus verbis, etiam ipso Dato *in vigilia Martini a. 1470*: *r*) at ex his ipsis colligere licet, *Beronensem* editionem post annum 1470 esse impressam, immo post annum 1473, quoniam idem *Elias de Laufen* non adhibuit *Signaturas* in *Roderici Speculo vitae humanae*, a. 1472 & 1473 bis excu-

k) Suppl. à Marchand p. 39.
l) Tom. I. p. 274.
m) Cf. Panzer T. I. p. 308. num. 229.
n) Sur l'orig. des Signatures, Bruxelles 1795. germanice ap. Fischer V. Lief. p. 46 sq.
o) Ibidem p. 39.
p) Mercier Suppl. à Marchand p. 120. Conf. supra p. 44.
q) Lucernensis pagi.
r) Schelhorn ad Quirinum p. 26.

fo. *s*) *Signaturas* a. 1474 adhibuit etiam *Io. de Colonia Venetiis* in *Baldo* ſuper Codicem, ſed a media demum voluminis parte.

Porro *HENR. QUENTEL* permultos libros e prelo ſuo emiſit, in his 1480 *Thomae Aquinatis* opus *quarti ſcripti. aereis litteris.* item *Scriptum ſuper Sententias.* In horum Aquinatis commentariorum prima pagina *Enſchedius t*) deprehendiſſe ſe affirmat figuram ligno inciſam, quae pariter occurrit in *BIBLIIS GERMANICIS. u*) *dialecto Colonienſi. x*) Coloniae impreſſis ſine anno & typographo, quae ob memoratam figuram *Quentelio* tribuit. Textui adiectae ſunt *Gloſſae* e Lirano, & *figurae* ligno inciſae. *Canticum Salomonis latine* exhibetur. *y*) Figurae eaedem ſunt, quae occurrunt in Bibliis Germanicis a. 1483 per Kobergerum impreſſis, & in ſecunda editione Bibliorum dialecti Colonienſis, *Halberſtadii* an. 1522. Has autem figuras non *Norimbergae*, ſed *Coloniae* fuiſſe ſculptas, inde patet, quoniam in memoratis Bibliis Norimbergenſibus folio 25 b. figuratae tabulae inſculptum legitur: *Ioſeph broedere.* (quae poſterior vox inferioris Germaniae ſculptorem prodit,) in textu vero *brüder*. In calce habetur: *Ein ſalich Ende hefft dat boek der hemelicke apenbaringe ſent Iohans des ewangeliſten &c.* Praefatio lectionem Scripturae S. multis commendat.

Io. GULDENSCHAAF de Moguntia. an. 1477 excudit inter alia plura Librum de geſtis ac trina beatiſſimorum *trium regum* translatione; tum an. 1487 *Auctoritates Ariſtotelis. Senecae. Boëthii. Platonis* &c.

Conr. WINTER. de *Homburg.* an. 1479 dedit *Biblia Latina* cum canonibus & concordantiis Evangeliſtarum, ad normam Ba-

s) *Gaſparini Epiſtolas*, a. 1470. Pariſiis impreſſas, etiam carere Signaturis, contra *Mercierium* ſupra p. 110. monuimus. Quae citatur cum Signaturis *Expoſitio in Symb. Apoſt. Oxonii* a. 1468. impreſſa, eam anno demum 1478. excuſam eſſe, cum *Marchando* ipſe docet *Mercier* p. 36.

t) in Literis ad Murrium, inſertis eiusdem Memorab. bibl. Norimb. Tom. I. p. 357.

u) Panzer Annalen der deutſchen Litter. p. 15.

x) Quae media eſt inter ſermonem *Belgicum* & *Saxonicum inferiorem* vel *Weſtphalicum*, ſed utriusque particeps. Harzheim biblioth. Colon. p. 35.

y) Enſchedius ap. Murr l. c.

ſileenſium *Bern. Richelii* expreſſa. *Petrus de Olpe* nonniſi paucos libros inde ab anno circiter 1471 impreſſit. *Nic. Gotz de Schletzſtat* a. 1474 excudit *Ludolphi* Carthuſienſis montis b. Virginis extra Argentoratum *Vitam Chriſti.* De *Io. VELDENERO*, qui *Coloniae* primum an. 1474, poſt *Lovanii*, *Ultraiecti* & *Culemburgi* typographiam exercuit, ſupra p. 114. egimus. Tandem *Guil. CAXTON*, Anglus, qui Typographiam patriae intulit circa an. 1474, *Coloniae* ſine nota anni impreſſit *Raoul le Fèvre Recueil des Hiſtoires de Troyes.*

AUGUSTANAE OFFICINAE.

Auguſtae Vindelicorum Typographiam intulit *GÜNTHERUS ZAINER de Reutlingen*, frater forſan vel agnatus *Ioannis Zaineri de Reutlingen*, qui idem beneficium *Ulmae* praeſtitit. *Günth. Zainer* excudit a. 1468 *Meditationes vitae Ieſu Chriſti anno LX. octavo*, omiſſo M. CCCC. foll. 71. in folio. z) Primus hic liber eſt cum indicio anni Auguſtae impreſſus. An. 1469 dedit *Catholicon Ianuenſis*, & *Summam Io. de Auerbach*, pro qua *Maittaire a*) aliique a *Sauberto* decepti, perperam venditarunt *Biblia Lat.* per *Io. de Auerbach*. *Reutlingae* 1469. *b*) A. 1470 *Durandi Rationale divin. Officiorum.* A. 1471 *Ovidium de arte amandi*, *Legenda Sanctorum* germanice II. Voll. in fol. mai. grandioribus typis, cum Sanctorum imaginibus rudiori minerva ligno inciſis, in ſplendida charta. Secundus Tomus anno demum ſequenti prodiit. *c*) An. 1472 charactere *romano* pernitido, Venetum aemulante, *Iſidori Hiſpalenſis Etymologias* & librum de *Aſtrorum ordinatione*; *d*) porro *litteris ahenis Thomam a Kempis de imitatione Chriſti* ſine anno, & *Petri Comeſtoris Hiſt. Scholaſticam* an. 1473. *e*)

Idem *Zainer* an. 1472 typis vulgavit pulchram editionem *Be-*

z) Panzer Annal. typ. T. I. p. 99.
a) Maittaire T. IV. p. 281.
b) Panzer T. I. p. 99.
c) Zapf Annales Typogr. Auguſtanae, Aug. 1775. p. 7 & 10.
d) Schelhorn ad Quirinum p. 30.
e) Panzer T. I. p. 132. & p. 103.

lialis. Rechtliche Uberwündung Crifti wider Sathan den fürften der helle. und des Sünders betroeftung. charactere femigothico craffiori grandiorique, cum figuris ligno incifis. *f*) His typis etiam excufa funt *BIBLIA GERMANICA* in folio regali cum nota *Auguftae*, fed omiffo anni & typographi indicio, *g*) quae donaffe *Zainerum Buxienfi* prope Memmingam Carthufiae teftatur *Liber Benefactorum* eiusdem Monafterii his verbis: *h*) „Dom. *Güntherus impreffor civis Augufte* dedit nobis libros fubfcriptos propter deum & „animе fue falutem anno 1474 & fequentibus: primo *Pantheologiam* in duobus voluminibus... *Bibliam in vulgari* infuper *regali* „modo.... *Summam Pifani... Lumen animae* in *latino*... Qui „*obiit 1478.* & habet *anniverfarium perpetuum nobiscum* in die fan„cti Remigii pro fe & parentibus, uxore & omnibus anteceffo„ribus fuis: idem habuit *plenum monachatum in domo hac ficut* „*unus de profeffis:* obiit idus Aprilis." E quibus fimul patet, ex eiusdem *Zaineri* prelo prodiiffe *Pantheologiam Raineri de Pifis* II. Voll. & *Summam Pifanellam*, in fol. mai. *charactere romano*, fed fine anno, loco & typographo excufas. *Secunda BIBLIORUM editio*, iisdem typis exarata, gerit notam Auguftae & anni 1477. *i*) In pofteriori editione initiales librorum literae praegrandes ligno incifae fiftunt hiftorias. De his Bibliis plura infra p. 200.

IO. SCHÜSSLER elegantiffimo charactere *k*) chartaque nitidiffima excudit an. 1470 *Iofephi Antiquitatum* & de *Bello Iud. latinam* editionem *principem;* an. 1471. *Petri de Crefcentiis* ruralia commoda, & *Orofii* hiftoriarum *principem* editionem; a. 1472 *Tripartitam Hiftoriam* ex Socrate & Theodoreto, *Io. de Turrecremata* in Pfalmos, *Ambrofii* Hexameron, & *Belialem* d. 2. Iulii; quo anno obiiffe videtur Schüfsler.

IO. BAEMLER ab an. 1472 - 1495 typis *inaequalitate* fua *l*) a ce-

f) Panzer Annalen d. deutfchen Litter. p. 63 fq. Typorum & figurarum fpecimen exhibet Zapf Augsb. Buchdr. Gefch. P. I. Tab. III.
g) Panzer l. c. p. 14 fq. & Augsb. Bibeln p. 17.
h) ap. Veith in Diatr. praelim. ad Zapfii Annales Typogr. Auguft. 1778. pag. XVIII.
i) Panzer Annalen d. deutfchen Litter. p. 93.
k) Panzer Augsb. Bibeln p. 12. & Annal. T. I. p. 100.
l) Zapf Augsb. Buchdr. Gefch. Einleit. pag. XXV.

terorum typographorum charactere facile discernendis permultos impressit libros, germanicos fere omnes; praeterea duos latinos, scil. a. 1479 *Quadragesimale Viatoris* & *Breviarium ecclesiae Augustensis*. Nullus vero extat Baemleri typis sine indicio anni impressus liber, quem ante 1472 emissum esse, coniicere possis. Nam hunc typographum iam a. 1466 *Biblia Latina* excudisse, solius *Gasseri* fide perperam a quibusdam venditari, supra ostendimus p. 69 sqq. *Germanica* vero *Biblia* an. 1467 inani coniectura eidem tribuisse *Tenzelium*, idemque ex male intellectis *Dieterici a Stade* verbis colligere voluisse *Veithium*, clare demonstravit Panzer. *m*) — Primus liber a Baemlero impressus an. 1472 est *Summa Iohannis Nach ordnung des A. b. c.* &c. *Maittaire*, *n*) germanicae linguae ignarus, hunc auctorem vocat *Iohannem Nach.* A. 1473 excudit *Belialem*, *o*) germanice, cum capitalibus literis ligno incisis, & cum finali tam latino, quam germanico, in quorum priori monetur, hoc opus perfectum esse *aereis figuris*, i. e. literis. Haec finalia transscripsisse in Argent. edit. a. 1478 *Henr. Knoblochzer*, supra diximus p. 81.

ANTONIUS SORG librorum ab anno 1475 - 1493 excusorum numero reliquos vicit illius aetatis Typographos Augustanos. In finali *Ambrosii* in *Lucam* a. 1476, & *Luminis animae* a. 1477 monet, hos libros *stanneis characteribus* esse excusos. Anno 1477 & 1480 excudit *BIBLIA GERMANICA*, cum figuris & praegandibus librorum initialibus, ligno incisis. Eandem literarum ruditatem & inaequalem positionem, quae occurrit in ceteris Sorgii editionibus, in his etiam Bibliis reperiri, monet *Panzer. p*) Secundum Biblia palmarium Sorgii opus est Liber de *Concilio Constantiensi* an. 1483 in folio cum 1200 circiter insignibus gentilitiis ac figuris. In cuius fine: *Darinn man vindet, wie die herren gaystlich unnd weltlich eingeritten seind und mit wievil personen. und wie sy abgeschiden seynd. Auch ir WAPPEN gemalet. Auch die sachen die darin geschehen seind hüpsch und gerecht.* De hoc libro *Panzer:* „Es ist das erste gedruckte Wappenbuch das wir „besitzen: und da damals die vornehmsten Maenner der gan-

m) Augsb. Bibeln p. 4 sq.
n) Tom. IV. p. 317.
o) Schwarz Index librorum Sec. XV. impress. p. 4.
p) Annalen der deutschen Litter. p. 94.

„zen Christenheit auf dem Concilio beysammen waren, so ist „dieses Wappenbuch auch ziemlich vollstaendig. *q*)

Ioannes SCHOENSPERGER. Senior, ab anno circiter 1481-1524 elegantibus typis libros excudit, & quidem anno 1487 & 1490 *BIBLIA GERMANICA* cum figuris ligno incisis; a. 1496 & 1500 *Schedelii* Chronicon *germanice.* & 1497 *latine.* cum figuris, iuxta editiones Norimbergenses anni 1493. An. 1523 & 1524 emisit *NOVUM TESTAMENTUM r*) germanice, expressum ad primas editiones Wittebergenses a. 1522, cum figuris ligno eleganter incisis, plerisque a *Io. Scheufelein.* Typi similes sunt, sed minores, iis qui occurrunt in *Theuerdankio.*

THEUERDANK. poëma germanicum, praestantissimum artis typographicae monumentum, a *Schoensportero* ter impressum est, scil. a. 1517, *s*) & a. 1519 bis. Titulus est: *Die geverlichkheiten und eins teils der geschichten des loblichen streytparen und hochberümbtem helds und Ritters Tewrdannckhs.* Subiuncta clavis docet, Theuerdankium vocari *Maximilianum* caesarem, quoniam a prima iuventute *all sein gedannckhen nach Tewerlichen sachen gericht hat.* Herois laboribus, simul & carmini, coronidem imponit felix eiusdem coniugium cum pulcra & divite *Maria Burgundica.* Poëma hoc, iubente & aliquatenus cooperante *Maximiliano.* exaravit *Melchior Pfinzing.* Norimbergensis patricius, ad *S. Sebaldum* praepositus, dedicavitque a. 1517 *Carolo Hispaniarum* regi, cuius se vocat Capellanum. Accedunt textui 118. figurae allegoricae, a *Io. Scheufelein* perfectae, quae, *Fournierio* iudice, *t*) *sont autant de chefs-d'oeuvres de la gravure en bois.* Typos ligno insculptos esse, perperam sibi persuaserunt aliqui. Rectius Koehler: *u*) „Literae sunt

q) Rarissimi huius libri exemplum figuris coloratis ornatum ipse possedi, donavique bibliothecae nostrae Academicae.

r) Panzer Augsb. Bibeln p. 69. & 92.

s) In finali haec editio dicitur impressa *Norimbergae* per Io. Schoensperger, civem Augustanum. Panzer in Annalen der deutsch. Litter. p. 410. existimat id factum esse in gratiam auctoris, Norimbergae tum degentis.

t) Sur l'Art de graver en bois p. 74.

u) in Disquisit. de libro inclyto *Theuerdank*, edit. auctioris Altdorfii 1719. pag. 39.

„maiuſculae penitusque ſingulares, anteaquam in typographicis „officinis non frequentatae, ſed potius peculiari ſtudio, ad nitorem libro conciliandum, fabrefactae &c.“ Idem citat MS. Io. *Neudoerferi*. Norimbergenſis arithmetici circa an. 1546, in quo haec leguntur: „Kayſer *Maximilian* liesz zuvor durch den *Schoenſperger* eine *Fractur* machen, damit ſeinen *Deuerdank* zu drucken, welche Prob der herr *Vincenz Rockner* kayſerl. Hoffecretarius gemacht, welche *Ioh. Neudoerfer*, der Rechenmeiſter geſehen, dabey ihro kayſerliche Majeſtaet mit eigener Hand die „Wort: *Te Deum laudamus*, geſchrieben.“ *Panzer x*) obſervat, capitales quidem huius libri literas e ligno ſculptas, reliquas vero omnes fuiſſe fuſas, iisque quosdam quaſi calami ductus, ornandi cauſa, eſſe adiectos. *Fuſos* typos prodit ſumma eorum aequalitas; *mobiles* vero oſtendunt innumerae quae occurrunt in duabus ſequentibus anni 1519 editionibus diverſitates tam quoad orthographiam, quam quoad memoratos ductus & ornamenta: *y*) idem probant ſpatiorum voces ſeiungentium veſtigia, quae in principe huius libri editione animadvertit eius poſſeſſor Cl. *Brunner. z*) Editio ſecunda an. 1519 gerit verum impreſſionis locum *Auguſtam*, pariter ac *tertia* eodem anno excuſa; cuius figurae apparent detritiores quam duarum praecedentium. *a*)

Erh. Ratdolt poſtquam an. 1486 *Venetiis* in patriam rediit, in Liturgicorum librorum rubro nigroque colore diſtinguendorum ſolertia prae ceteris eminuit. *Florentes* literas, diverſas ab iis quae occurrunt in Pſalterio, unicoque ductu, frondei, quod vocant, operis abſolutas, primus adhibuit *Venetiis* in *Calendario Io. Regiomontani* an. 1476. *Auguſtae* an. 1488 excudit *Io. Gerſon de Imitatione Chriſti*, & *Almanach Io. de Monteregio ad annos XVIII*, item *Aſtrolabium* „continens qualibet hora atque minuto Aequationes „domorum coeli, Moram nati in utero matris cum quodam tractatu nativitatum utili ac ornato; nec non horas inaequales „pro quolibet climate mundi.“ In fine huius legitur: *Erhardi Ratdolt mira imprimendi arte, qua nuper Venetiis nunc Auguſtae Vin-*

x) Augsb. Bibeln p. 71. & Nürnb. Bibeln p. 118.
y) Panzer Annalen der deutſchen Litter. p. 430. & Zuſaetze p. 164.
z) Fol. d. v. lin. 2. fol. l. lin. 10. fol. m. III. lin. 19. B. III. lin. 2.
a) Conf. pag. antec. not. *s*. & Panzer Zuſaetze pag. 164.

delicorum excellit nominatissimus. An. 1490 emisit *Petri de Alliaco* concordantiam *Astronomiae* cum *Theologia*. & historica narratione.

IODOCUS PFLANZMANN. qui an. 1475 emisit *Samuelem de adventu Messiae*. excudit sine indicio anni *Psalmorum Titulos* germanice, *b*) quorum typi, observante *Braunio*. *c*) similes sunt typis *BIBLIORUM GERMANICORUM* sine anno, loco & typographo, cum 57 figuris ligno incisis, inter quas occurrunt duae, in *Psalmorum* quoque Titulis obviae; unde haec Biblia *Pflanzmanno* tribuit idem Braun. *IO. WIENERUM* de Wienna, qui ab a. 1475-1479 Augustae libros excudit, supra pag. 73. memoravimus.

Augustae *in monasterio SS. ULRICI ET AFRAE* Abbas *Melchior de Stamham* Typographiam a. 1472 erexit, teste *Guil. Witwero*. coaevo illius monasterii monacho, qui inter alia: „*Melch. de* „*Stamham* nisus est imprimere *stanneis characteribus* Dialogum b. „*Gregorii Papae in Moralibus*. in vulgari, qui finitus est a. 1473, „dein *Sermones aureos Leonardi de Utino de Sanctis*. & finiti sunt an. „1474, sed *compositi* sive *collecti* per Leon. de Utino an. 1446. „Iussit etiam imprimi *Vincentium in naturali* [perperam pro *HI-* „*STORIALI*] *SPECULO in tres partes*. [III. Voll. in fol. mai.]... „Sequuntur metra quae continentur in fine III. Partis: *Codicis in-* „*signis* &c.... Finitur autem liber praescriptus anno Dom. 1474 „post obitum praedicti abbatis." Hoc *Speculum Historiale* in San-Ulricano monasterio excusum esse, docet ipsa eius Annunciatio, quam codicis cuiusdam thecae agglutinatam invenit *Denis*. *e*) Adhibitos ibi typos eosdem esse cum typis *Antonii Sorgii*; at *Sermonum Leon. de Utino* characterem esse *romanum*. diversum plane ab eo, quo usi sunt *Zainer*. *Schüssler*. *Sorg*. aliique typographi Augustani, observat *Panzer*. *f*) Praedictum Abbatem *Melch. de Stamham*. praeter ea quae an. 1472 Augusto mense ipse confici iusserit, quinque *Schüssleri* prela, aliaque typographica instrumen-

b) Panzer Annal. der deutschen Litter. p. 18.
c) in Notitia P. II. Praefat. pag. VI.
d) in Catal. MS. Abbatum monast. SS. Ulrici & Afrae, ap. *Braun* in Notitia P. I. Praefat. pag. IX sqq.
e) Supplem. Maittairii p. 786.
f) Annales Typogr. T. I. p. 104 sqq.

ta emiſſe, teſtatur *pergamena chartula*, in San-Ulricana bibliotheca aſſervata. *g*)

Praecipuis Auguſtanis Typographis accenſendus eſt *Henr.* STEINER, inde ab a. 1524, cui praeter plures auctores *Graecos* & *Latinos* germanice verſos, debentur *Biblia Germanica integra*, quae primum a. 1534 impreſſit iuxta *Wormatienſia* anni 1529, vel *Turicenſia* eiusdem anni; poſt vero an. 1535 ad principem editionem *Wittebergenſem* anni 1534. *h*) Idem a. 1536 recudit *Concilium Conſtantienſe*, a Sorgio an. 1483 primum impreſſum.

Inter quatuordecim Bibliorum editiones, quae ſuperioris Germaniae dialecto ante Lutheranam verſionem prodierunt, duae poſtremae excuſae ſunt *Auguſtae;* earumque prior a. 1507 per *Io. Otmar*, poſterior an. 1518 per *Silvanum Otmar;* utraque cum figuris, & impenſis *Io. Rynmann de Oehringen*, *i*) de quo ſupra p. 87.

NORIMBERGENSES OFFICINAE.

Primus liber *Norimbergae* cum indicio anni impreſſus, *Franc. de Retza Comeſtorium vitiorum*, in fine habet: *Nuremberge LXX. patronarum formarumque concordia & proporcione impreſſus;* *k*) quae verba nusquam alias quam in *Catholico* Gutenbergii occurrentia, *l*) eiusdem diſcipulum prodere videntur. Iisdem, quibus Comeſtorium, typis excuſa ſunt *Gregorii M. Moralia in Iobum* Norimb. 1471, itidem ſine nota typographi, in quorum finali, uti in ſupra dicto Catholico, legitur: *Immenſas omnipotenti Deo* &c.; ſequitur *Regiſtrum* 20. foll. typo minori excuſum, eodem quo *Io.* SENSENSCHMID *de Egra*, & HENR. KEFER *de Moguntia* Norimb. 1473 impreſſerunt *Rainerii Pantheologiam* III. Voll. in fol. mai. Hic *Henr. Keſer* Moguntiae a. 1455 comparet inter teſtes a parte

g) Ap. Veith l. c. pag. XXIV. & Zapf l. c. pag. XVIII.
h) Panzer Augsb. Bibeln p. 124-137. Editionis Steinerianae extant exempla quaedam in *pergameno* excuſa.
i) Panzer l. c. p. 47-53.
k) Panzer Buchdruckergeſch. Nürnbergs, Nürnb. 1789. p. 1. & Annales T. II. p. 167.
l) Cf. ſupra pag. 38.

Gutenbergii, illiusque officinae operarios: *m*) ei igitur & Senfenfchmidio debetur illud *Comeftorium*, recognofcente criticique correctoris partes agente *Henr. Rumelio*. *n*) Comeftorii auctor, Ord. Praedicatorum lumen, *Panzero* iudice, interfuit Concilio Pifano an. 1409, delegatus Vindobonenfis academiae. *o*) *Senfenfchmidii* nomen primum occurrit a. 1472 in *Alb. de Eyb Margarita poëtica*.

Praeter plura alia idem Senfenfchmid excudit, focio & correctore *Andrea Frifnero de Wunfidel*, Artium liber. magiftro, an. 1475 *Biblia Latina* fplendide in fol. max. expreffa ad edit. Romanam an. 1471. Eorundem artificum officinae, *Panzero p*) iudice, debentur *Biblia Germanica*, fine anno, loco & typographo, cum capitalibus literis 73 praegrandibus, quae figuris ex hiftoria defumtis ornatae funt: in quorum Bibliorum editione multae voces obfoletae, in *Mentelianis* & *Eggefteinianis* occurrentes, permutantur cum aliis tunc ufitatis fecundum dialectum Helveticam, v. gr. *rich* pro *reich*, *uff* pro *auf*, *lüt* pro *leute*. Ex ea tanquam fonte poft manarunt editiones *q*) *Auguftanae*, Norimbergenfis *Kobergeri*, & *Argentoratenfis* an. 1485. Iidem focii Typographi imprefferunt *Nic. de Aufmo Supplem. Pifanellae*, & Codicem *Iuftiniani*, in quorum fine legitur: *Infculptum eft hoc opus* &c. porro a. 1478 *P. Lombardi Gloffam Pfalterii* cum finali: *Infculpta Nuremberge* &c. Sed *fufis* typis excufos effe hos libros, abunde conftat. Tandem *Senfenfchmid* a. 1481 *Bambergam* abiit, ibique Miffalia imprimere coepit. *Frifner* iam a. 1479 *Lipfiam* concefferat, ubi Theologicam cathedram ornavit. *r*)

Frider. Creusner an. 1472 excudit *Alb. de Eyb* canonici Bamberg. libellum Germanicum, *An viro ducenda fit uxor*; an.

m) ap. Schwarz de Orig. Typ. P. I. p. 7.
n) Panzer Buchdr. Gefch. Nürnb. p. 2.
o) Denis Merkw. der Garell. bibl. p. 36.
p) in Zufaetzen zu den Annalen der deutfchen Litter. p. 2. ubi dicit, horum Bibliorum typos prorfus eosdem effe cum typis Senfenfchmidii & Frifneri in Petri Brixienfis epifcopi Repertorio Iuris anni 1476.
q) Naft Nachr. von der hochdeutfchen Bibelüberfetzung, Vorber. pag. XIII. XXIII-XXX. & Panzer Annalen p. 13.
r) Will Nürnb. Gelehrten Lexicon T. I. p. 486.

1474 *Auream Bullam*. pluresque alios libros charta typisque elegantibus, in his a. 1475 *Poggii Facetias* cum finali: *Hoc opus exiguum ſculpſit s) Frid. Creuſner ſua fabrili arte*, uti etiam legitur in calce *Diogenis Epiſtolarum* ſine indicio anni, quod pariter deſideratur in Creuſneri *Pſalterio Latino*, miſſalibus typis exarato in forma quarta.

Io. Müller De Monteregio an. 1474 impreſſit Calendaria pro annis 1475 ad a. 1506. Horum quodlibet foliis tredecim conſtat. Sine indicio anni, praeter alia excudit *Theoricam novam Planetarum Georgii Purbachii* cum figg. mathem. ligno ſubtiliter inciſis, & *Manilii Aſtronomicon*. in cuius fine legitur: *Ex officina Io. de Regiomonte habitantis in Nuremberga.* Utrumque opus excuſum eſt in charta nitida, & charactere Romano eleganti, quem poſtea imitatus eſt *Erh. Ratdolt* Venetiis & Auguſtae. Initiales horum librorum literae ſunt florentes, i. e. variis ductibus & quaſi floribus ornatae. Porro *Calendarium novum Latino-Germanicum* pro annis 1475 ad 1513. Cum exemplo Germanico ratione argumenti & verborum prorſus convenit aliud *Calendarium Regiomontani*. *tabulis ligneis* ab utraque folii pagina expreſſum. *t*)

Regiomontanus, Mathematicorum ſui ſeculi princeps, a. 1436 *Koenigsbergae* in Franconia natus, *Purbachii* Vindobonae diſcipulus, inde *Beſſarionis* Cardinalis circa a. 1462 Romam revertentis comes itineris, mox Ferrariae, Patavii & Venetiis Graecis litteris egregie imbutus, anno 1466 Vindobonam redux in Purbachii locum Matheſin publice docuit, tandem an. 1471 Norimbergam ſibi ſedem elegit, ibique circa an. 1473 operum a ſe edendorum, numero 48, *Indicem* excudit, ſub titulo: *Haec opera fient in oppido Nuremberga Germaniae ductu Io. de Monteregio.* Ex his 48 operibus partim *alienis*, partim *ſuis*. dicit *explicita* eſſe duo, ſcil. *Theoricas* novas planetarum *Purbachii* cum figurationibus, & *Manilii* Aſtronomica; *Calendarium* vero *novum* & *Ephemerides ad 32 annos futuros iam prope abſoluta.* In fine Indicis addit: „Poſtre„mo omnium artem illam mirificam litterarum formatricem mo-

s) Fuſis typis exaratum eſſe hunc librum, oſtendimus ſupra p. 93.
t) Vid. Schwarz P. III. p. 66. Panzer p. 76 ſq.

„nimentis ſtabilibus mandare decretum eſt, (Deus bone faveas) „qua re explicita ſi mox obdormierit opifex, mors acerba non „erit, quum tantum munus poſteris in hereditate reliquerit, quo „ipſi ſe ab inopia librorum perpetuo poterunt vindicare.“ At *Sixtus IV.* Papa, Calendarium emendaturus, *Regiomontanum* promiſſis ingentibus ad ſe invitavit: quibus ille inductus an. 1475 Romam abiit, ibique anno ſequenti vita exceſſit, aetatis 40. Veneno e medio ſublatum eſſe, ſuſpicantur nonnulli.

Antonius KOBERGER vel *Koburger*, teſte *Neudoerfero*, *) non tantum *Norimbergae* quotidie 24. prelis opus exercuit, & plus centum aluit in arte adiutores, ſed etiam per exteros Typographos libros excudi curavit, v. gr. *Baſileae* & *Lugduni*, tamque aliis in urbibus quam Norimbergae bibliopolia habuit. Huic *Kobergero* Iod. *Badius*, Pariſinus Typographus eruditus, an. 1499 dedicavit *Epiſtolas* illuſtrium virorum a *Politiano* collectas, eumque ſic alloquitur: **) „Cum ſis *Librariorum* facile *princeps*, & inter fide„les atque honeſtos mercatores non inferiori loco poſitus..., „Litteratos omnes & colis & foves; pervigilemque curam ad bo„nos Codices vere, terſe, ac ſine mendis imprimendos adhibes.“

Ex KOBERGERI prelis inſignem emiſſum eſſe librorum numerum, facile intelligitur. Theologiam fere omnes & Ius Canonicum tractant. Hoc loco memorandi ſunt: an. 1472 *Alcinous* de doctrina *Platonis*, latine; an. 1463 *Boëthius de Conſolatione Philoſophiae*, cum comment. *Thomae Aquinatis* & verſione germanica; an. 1475 *Biblia Latina*, *undecies* recuſa, uti mox videbimus; an. 1481 *Platina* de Vitis Pontificum, expreſſus ad principem editionem Venetam anni 1479; an. 1483 *Biblia Germanica*, de quibus mox; a. 1492 *Virgilius* char. *romano*; a. 1493 *Schedelii Chronicorum* duplex editio, Latina & Germanica, cum permultis figuris ligno eleganter inciſis arte *Michaëlis Wohlgemuth* & *Wilhelmi Pleydenwurf*. Priorem, cuius diſcipulus fuit *Alb. Dürer*, *u*) figuras

*) ap. Panzer in Nürnb. Bibeln p. 15. Cf. p. 6.
**) ap. Maittaire T. I. p. 79.
u) Heinecken Idée p. 218.

delineasse. posteriorem easdem sculpsisse, opinantur *Heinecken x*) & *De Murr. y*)

Palmarium Kobergerianae officinae opus sunt *Bibliorum* editiones *duodecim Latinae. z*) *Germanica una*. Prima *BIBLIORUM LATINORUM* editio prodiit, uti diximus, a. 1475; secunda a. 1477, cui primum accesserunt *Canones & Concordantiae Evangelistarum*. cum *Menardi* Epistola ex edit. Basileensi *Bern. Richelii*. An. 1478 secutae editiones duae; porro una singulis fere annis, scilicet a. 1479, 1480, 1481 cum Postillis *Nic. de Lira*. typis minutis elegantibus, II. voluminibus; anno 1482 sine Lirano; cum *Lirani* Postillis IV. Voll. annis 1485, 1487, 1493 & 1497; sine Lirano an. 1501.

BIBLIA GERMANICA a Kobergero an. 1483 excusa, veterum Bibliorum Germanicorum omnium splendidissima sunt. Ad illa expressa sunt *Argentinensia* anni 1485, supra pag. 81 citata, & *Augustana* posteriora usque in annum 1518; e quibus ea, quae dedit *Ioannes Otmar* anno 1507, nitore ad Koburgeriana proxime accedunt. Horum finale, e duabus editionibus *Zainerianis*. & e *Sorgianarum* secunda anni 1480 transscriptum, gloriatur: *für allen anderen vorgetrucket teutsch Bibeln lauterer clarer und warer nach rechter* (sic) *gemeyner teutsch*. Quibus verbis, quae repetuntur in Augustanis editionibus, nihil aliud, monente *Nastio. a*) significatur, nisi quod *Helvetica* Bibliorum *Sensenschmidii* & *Frisneri dialectus*. in *vulgarem germanicam* sit mutata. Argentoratensis editio, omissis verbis, *für allen andern vorgetrucket teutsch Bibeln*. tantum habet: *zu teutsch getruckt lauter clar und war nach rechtem gemeynem teutschem*.

In finali editionis *Kobergeri* & sequentium additur: *Mit hohem und groszem vleysz gegen dem lateynischen text gerechtvertiget*. Compluribus horum Bibliorum locis collatis cum Bibliis Germanicis

x) Ibidem p. 234.
y) Journal T. II. p. 142.
z) Panzer T. II. p. 177. 180. 183. 185. 186. 190. 198. 204. 212. 224. & T. VII. p. 439.
a) Libro cit. Vorbericht pag. XXIV sq. & XXVI sq.

antiquissimis per *Eggesteinium*, perperam *Fausto* adscriptis, b) sic iudicat *Michaëlis*: c) „Die in der Unterschrift gerühmte Verbes„serung besteht groessesten Theils in einer deutlicheren und mehr „deutschen Schreibart: die meisten ausgestorbenen Worte sind „hier entweder gar weggelassen, oder kommen doch nur sehr „selten vor; z. B. *michel* anstatt gross, *Ee* anstatt Gesetz..... „Man hat nicht einmal die Haelfte von dem geaendert, was „bloss durch den rechten Verstand der Vulgata waere zu aen„dern gewesen." In omnibus horum Bibliorum editionibus usque in annum 1518, verba Matth. XVI. 13. *Iesus venit in partes Caesareae Philippi.* uti in Bibliis Koburgeri, redduntur sic: *Ihesus kam in dy teyl des keysertumbs philippi.* De his omnibus Bibliis Germanicis sic iudicat *Io. Eck*, d) celebris Ingolstadiensis Theologus an. 1537: „Der Dollmetscher hat zu hart von Wort zu Wort ver„deutscht, damit er oft unverstaendig ist worden, und der ein„feltig Leser kein Sinn und Verstand daraus vernemmen mag. „Auch hat er aus Mangel des *Latein* gestrauchelt: dann ich hab „ihr *ob dreitausend* Exempel verzeichnet, wann ich allein darein „gesehen bey weil in Verwunderung, wie er ein Stell transferirt „hab: wie viel wolt ihr dann finden, wann ich mit Fleiss solt „lesen und besehen von Wort zu Wort."

Gal. II. 16. haec versio conspirat cum Lutherana Rom. III. 28. graviter ab eius adversariis reprehensa. In his enim antiquis Bibliis sic legitur: „Wir wissen dass der Mensch nit wirt gerecht„vertigt aus den Wercken der Ee, *nur* durch den gelauben jhesu „cristi, und wir gelauben in jhesu cristo, dass wir werden ge„rechtvertigt aus dem glauben cristi, und nit auss den wercken „der Ee." In Oratione Dominica *Matth.* VI. Kobergeriana aliaque Biblia habent: *Unser teglich brot;* sola *Sensenschmidiana*, cum quibusdam exemplaribus *Zainerianorum sine anno*, & Sorgianis anni 1480, exhibent: *Unser überstantlichs brot*, iuxta correctam ab Hieronymo Italam, ubi legitur: *panem nostrum supersubstan-*

b) Panzer Zusaetze zu d. Annal. d. deutsch. Litter. p. 1 sq. Cf. supra p. 72.
c) in Syntagm. Commentat. Goettingae 1759. P. I. p. 17 sq.
d) In der Dedication seiner deutschen Bibelübersetzung an den Cardinal Erzbischof Matthaeus zu Salzburg. Ingolstad 1537.

tialem. e) — 1. Ioh. V. 7. *tres testes in terra* ponuntur ante *tres testes in coelo.* uti in plurimis Vulgatae Codd. MSS., quem ordinem approbat *Bengel. f*) *Prologus in Epistolas canonicas. Hieronymo* perperam adscriptus, *g*) praecedit Epistolam Iacobi.

Figurae Bibliorum Kobergeri, uti supra p. 189. monuimus, eaedem sunt cum figuris *Bibliorum Coloniensium* circa annum 1480. Inter eas quae *Apocalypsin* ornant, sunt aliquae de quarum sensu acris exorta lis est, quam narrat *Clement. h*) Figura, quam gerit folium 577, repraesentat servos Dei super frontibus obsignatos, albaque stola indutos, Papam vero, Caesarem, Regem, Cardinalem, Episcopum humi prostratos; uti etiam in figura folii 579, quae sistit quatuor angelos vinctos ad Euphratem, solutos ut occiderent tertiam hominum partem. Eodem redeunt ea quae cernuntur in figuris Bibliorum *Argentinensium* anni 1485: ibi in figura folii 454. b. comparent servi Dei pariter super frontibus obsignati, contra de coelo percussi lamentantesque Papa, triplici corona vestitus, duoque reges coronati, insuper disiecti muri turresque urbis.

Kobergerus. uti ceteri Norimbergenses, *semigothico* charactere usus est, sed eleganti. In finalibus suis anno 1486 monet, *aereis* vel *aeneis litteris, characteribus* vel *figuris* excusas esse *Iustiniani Institutiones. Antonini archiep. Florentini Summam* IV. volum. fol. mai. & *Vincentii Speculum doctrinale.* In *Codice Iustiniani* an. 1488 fusis typis exarato legitur: *Insculptum est hoc opus* &c. Obiit *Antonius Koberger.* pater, a. 1513. Eius filius *Antonius.* huiusque vel frater vel consobrinus *Ioannes Koberger. i*) suis expensis in diversorum Typographorum officinis multos libros excudi curarunt, scilicet *ANTON. KOBERGER. IUNIOR.* 1. *Norimbergae* per *Io. Stuchs* an. 1518 & 1519. 2. *Lugduni* per *Iac. Sacon.* & quidem *Biblia* an. 1515, 1516, 1518, 1519, 1521 & 1522. *IOANNES KOBERGER.* 1. *Norimbergae* per *Frid. Peypus* an. 1517, 1518, 1519, & an. 1522 & 1523 *Biblia Latina* Andreae *Osiandri.* 2. *Ba-*

e) Nast lib. cit. Vorbericht pag. XLII. & p. 51. 70. 95. & 106.
f) In Apparatu Critico ad Nov. Testam. p. 467 sq. edit. 1763.
g) Ibidem p. 472. & Rich. Simon Hist. des Versions du N. T. p. 105.
h) Biblioth. curieuse T. III. p. 331 sq.
i) Panzer Nürnb. Biblen p. 18. & 93.

sileae per *Adamum Petri.* an. 1515, 1517, 1519. 3. *Hagenoae* per *Thomam Anshelmum* an. 1517, 1518, 1520. Ipse *Io. Koberger* excudit *Norimbergae* an. 1516 *Hortulum animae; Anton.* vero *Koberger. Iunior.* ibidem an. 1521 *Revelationes S. Brigittae.*

Inter reliquos Norimbergae Typographos eminent *Frider.* PEYPUS. qui an. 1524 excudit *BIBLIA GERMANICA Lutheri* elegantissime cum figuris ligno incisis; & *IO.* PETREIUS. vir eruditus, cui debentur *Biblia Latina* an. 1527-1529, quorum versio differt ab *Osiandrina. k*)

Norimbergensibus typographis subiungimus *ALBERTUM DÜRER.* Norimbergensem, pictorem celeberrimum, qui a. 1498 excudit fol. max. *DIE HEIMLICHE OFFENBARUNG IOHANNIS* cum figuris elegantissimis, addito finali: *Gedruckt zu Nürnbergk durch Albrecht Dürer maler* &c. Constat 16 foliis cum figuris 15, in quarum aversa pagina legitur textus Apocalypseos iuxta Biblia Kobergeri. Secundae editionis anni 1511 finale hoc est: *Impressa denuo Nürnberge per Albertum Dürer.* Priorem editionem carere textu perperam dixit *De Murr.* uti ostendit *Panzerus. l*) qui tamen existimat, Dürerum non in propria, sed in aliena typographica officina haec opera excudi curasse. Idem Dürer porro excudit, 1. *PASSIONEM MAGNAM* an. 1511 fol. mai. cum figuris 12, quae gerunt in dorso carmina ex Hieron. Patavino, Sedulio, Bapt. Mantuano &c. 2. *PASSIONEM PARVAM* in 4. cum figuris 37, & carminibus. 3. *Historiam b. Mariae per figuras cum versibus annexis* an. 1511, in cuius fine: *Impressum Nurnberge per Alb. Dürer* &c. *m*)

PARISINAE OFFICINAE.

Parisiis atque *Galliae* Typographiam illatam esse non per Nic. *Ienson.* uti scripserunt aliqui, sed per tres typographos Germanos, ostendit *Chevillier.* Sorbonicus Doctor. *n*) Primi hi typogra-

k) Panzer Nürnb. Bibeln p. 89-110.
l) Gesch. der Nürnb. Bibeln p. 81.
m) Heinecken Neue Nachr. p. 169 sqq. & p. 179. Panzer T. VII. p. 450.
n) Hist. de l'Imprimerie de Paris, Paris 1694. p. 42 sq.

phi fuerunt *Ulricus Gering*, *Constantiensis*. o) *Michael Friburger de Columbaria* p) (*Colmaria*.) & *Martin. Kranz*, *socii*. quorum duo posteriores post annum 1478 haud amplius comparent; *Gering* vero an. 1510 Parisiis obiit. q) Hos Typographos in *Sorbonae* domum an. 1470 evocavit Sorbonae tunc temporis Prior *Ioannes Steinlin*, r) lat. *Lapidanus* vel *De Lapide*, gallice *De la Pierre*. Germanus, quem laudat *Io. Reuchlin* sive *Capnio* in Epist. ad Facult. Theolog. Parisiensem his verbis: s) „Sum scho„laris Universitatis Parisiensis, *egregii quondam Theologiae Doctoris* „*Dn. Ioannis de Lapide* discipulus in Sorbona.“ Eundem Lapidanum *Trithemius* t) vocat *virum ingenio excellentem*, *eloquio disertum*, *vita & conversatione praeclarum*, *qui post liberam plurium Beneficiorum dimissionem ad Canonicatum & Praedicationis officium insignis ecclesiae Basileensis vocatus fuit*. Qua in urbe Carthusianorum ordini tandem se addixit; eiusque consiliis & curis *Io. de Amerbach Ambrosii* opera a. 1492, aliosque auctores excudit, u) ipsiusque Lapidani *Logicas* explanationes, quibus *Seb. Brant*, ICtus Argentinensis, Elegiam praefixit, ex qua sequentes versus refert *Chevillier*: x)

Hanc Lapidane pater, dum felix Parisiorum
Gymnasium incoleres, Doctor amate paras.
Tempora multa bonis illic studiisque probatis
Trivisti, insigni praefuerasque Scholae:
Sed tibi plus placuit Christi Schola, dogma salutis
Sectatus, linquis dogmata vana Scholae.
Sprevisti & pompas quas saepe Theologus alter
Quaerit, & in crassis pinguia multa malis.

o) Panzer T. II. p. 307. num. 331.
p) Ibidem p. 274. num. 16. & 17.
q) Chevillier p. 95.
r) Panzer T. I. p. 290. num. 102. Perperam *Heynlin* eum vocat Chevillier p. 31. & 438.
s) in Epist. illustr. Virorum ad Reuchlinum P. II. fol. V. 4. b.
t) Scriptor. Ecclesiast. num. 894.
u) Lapidani Epist. ad Amerbach. praefixa Trithemio de Scriptor. Eccles. Basil. 1494. fol.
x) l. c. p. 34 sq. Is vero hunc *Brantum*, quem supra p. 82. ab *Erasmo* celebratum vidimus, simpliciter vocat *un allemand*.

Quas tibi Praebendas plures fortuna secunda
Obtulit, has temnis & bona cuncta soli. &c.

...ni in arcessendis e Germania typographis consilium op-
...it alius in Sorbona Doctor Theologus, *Guill. Fichet*,
...baudus, qui, teste *Rob. Gaguino*, y) *eloquentiae facem*
...*nae orationis attulit*, amicus *Bessarionis* Cardinalis,
...*Ludov. XI. R. pro Gallorum principum concordia, bel-*
...*s obeundo orator* fuit, z) Romam tandem a. 1471
...V. evocatus, Cubiculariique & Magni Poeniten-
...us. a)

...*heto* auctoribus *Gering*, *Friburger* & *Kranz*
... ipsis *Sorbonae* aedibus primum in Gallia
...*as Gasparini Pergamensis* (Bergomensis,)
...*atini sermonis elegantiam semimortuam ab*
...ae Mediolani a. 1431. In fine huius libri

...*amen, sic doctrinam fundis in orbem,*
Musarum nutrix regia Parisius.
Hinc prope divinam tu, quam Germania novit
Artem scribendi, suscipe promerita.
Primos ecce libros quos haec industria finxit
Francorum in terris, aedibus atque tuis.
Michaël, Udalricus, Martinusque magistri
Hos impresserunt, ac facient alios.

Lapidanum illos typographos Lutetiam arcessivisse, testatur prae-
fixa eidem libro Ficheti Epistola: „ *Guil. Fichetus* Parisiensis Theo-
„ logus *Doctor Io. Lapidano*, Sorbonensis Scholae *Priori*, Salutem:
„ Misisti nuper ad me suavissimas *Gasparini* Pergamensis Epistolas,
„ non a te modo diligenter emendatas, sed a *tuis* quoque *Ger-*
„ *manis Impressoribus* nitide & terse transscriptas.... Ut qui cum

y) Trinitariorum Generali, & Ludovici XI. bibliothecario, in Epist. XI. ap. Chevillier p. 30. Maittaire T. IV. p. 23.
z) Ficheti Epist. ad Lapidanum, ap. Maittaire T. IV. p. 297.
a) Chevillier p. 29.
b) De Scriptor. Ecclesiast. num. 744.

„laude & gloria Sorbonico certamini Dux praefuisti, tum latinis „quoque literis, quas aetatis nostrae ignoratio tenebris obumbra- „vit, tua lumen affundas industria... *Quos ad hanc urbem e tua* „*Germania Librarios ascivisti*. quam emendatos libros ad exempla- „ria reddunt! idque tute macto studio conaris, ut ne ullum qui- „dem opus ab illis prius exprimatur, quam sit a te coactis ex- „emplaribus multis castigatum litura multa &c."

Anni nota caret quidem hic liber; sed eum prodiisse 1470 inde colligit Chevillier pag. 44, quod citata *Ficheti* Epistola scripta est eo anno, quo non solum Lapidanus Sorbonae *Prior* fuit, sed etiam Fichetus *Doctoris* Theologici gradum erat consecutus: iam vero Lapidanus Sorbonae *Prior* fuit bis, scil. a. 1467 & 1470, testibus Registris Fac. Theol. *Fichetus* autem, quamvis Rector Universitatis, a. 1467 gradum *Doctoris* Theologici nondum erat consecutus. In ipsis Sorbonae aedibus impressum esse librum, inde quoque apparet, quod in fine Epistolae Ficheti ad Bessarionem, eodem prorsus charactere, atramento, charta & habitu excusae, legitur: „*Aedibus Sorbonae* scriptum *impressumque* anno *uno & se-* „*ptuagesimo* quadringentesimoque supra millesimum."

Ante annum 1470 nullum excusum esse in Gallia librum, extra omnem dubitationem positum est: neque in contrariam partem adduci potest libellus *Florii de amore Camilli & Aemiliae*. cum finali: *Expletus est Turonis. editus in domo Guillermi Archiepiscopi Turonensis. anno millesimo quadringentesimo sexagesimo septimo.* c) Etenim tam ante quam post inventam typographiam libri in publicum emissi, quamvis *manu scripti*. EDITI vocati sunt, uti probant exempla a *Maittairio* d) & *Mercierio* e) citata. Sic in *Antonii Panormitae* libris *de Alphonsi regis dictis ac factis* legitur: *EDITI hi libri in lucem fuerunt an. 1455 Neapoli. IMPRESSI Pisis per Gregorium de Ponte* an. 1485. *f*) Sic *Speculum Sacerdotum*. *EDITUM per Hermannum de Schilditz*. *g*) *IMPRESSUM* dicitur

c) Maittaire T. IV. p. 9.
d) Annal. typogr. T. I. p. 25 sq.
e) Supplem. à Marchand p. 105.
f) Maittaire T. IV. p. 465.
g) Panzer T. II. p. 186. num. 80.

Nurnberge an. 1480. Illum *Florii* libellum excusum esse *Parisiis* circa añ. 1475 per *Petrum Caesaris* & *Io. Stoll* ostendit *Mercier. h*) quos retinuisse dicit Subscriptionem quam in MS. codice repererant; quod fecit etiam artifex libri sine anno, loco & typographo excusi cum finali: *Explicit liber de Consolatione theologie per Fr. Io. de Tambaco i*) *ord. Predicat.... consummatus A. D. M. CCC. LXVI. k*) i. e. ab auctore absolutus. Illud vero Datum 1366 annum impressionis denotare, & cum pluribus aliis similibus Datis typographico vitio laborare, perperam opinatus est *Naudé. l*)

Iisdem quibus Gasparini Epistolae typis, & eodem prorsus habitu excusi sunt plures libri sine nota anni, in his: 1. *Sallustii* princeps editio, cum Octasticho, quod innuit impressam esse eo tempore quo Ludovicus XI. bellum indixit Carolo Burgundo, sc. a. 1470 d. 3. Dec. *m*) 2. *Florus* cum octasticho *Rob. Gaguini*. 3. *Ficheti Rhethorica* cum Epigrammate Gaguini. 4. *Bessarionis* Cardin. Epistola ad Fichetum & ad Italiae principes, eiusque *Oratio* de discordiis sedandis, & bello in Turcam decernendo. 5. *Laur. Vallae* Elegantiae Lat. sermonis. 6. *Cicero de Officiis* &c. de *Oratore*. & *Valerius Maximus*. recognoscente *Io. Lapidano. n*) 7. *Ciceronis Tusculanae Quaest. o*) item *Phalaridis* & *Cratis* (sic) *Epistolae*. latine cum Epigrammate *Erh. Windsberg*. Germani. 8. *Iacobi Magni Sophologium*. cum Epigrammate quod sic terminatur: *Quicquid enim veterum tetigit praeceptio digna mille voluminibus. clauditur hoc opere*. Omnes hi libri in Sorbona excusi sunt charactere crasso romano, atramenti nigredine nitida, charta firma, sed minus alba: desunt Custodes & Signaturae, quas, observante Chevillierio pag. 38, ab an. 1476. demum adhibuerunt tres illi typographi. Conf. supra pag. 110.

Anno 1473, quo *Lapidanus* & *Fichetus* e Gallia vel discesserunt,

h) Supplem. à Marchand p. 122 sq.
i) *Dambach*, Alsatiae oppidulo.
k) Panzer T. I. p. 387.
l) ap. Marchand P. II. p. 66.
m) Chevillier p. 44 sq.
n) Maittaire T. IV. p. 297. Panzer T. IV. p. 396.
o) Panzer T. IV. p. 397.

vel discessum meditati sunt, *Gering* sociique, relicta Sorbona; officinam transtulerunt in vici *S. Iacobi* aedes, quibus *Solis aurei* insigne tribuerunt, characteribusque uti coeperunt a prioribus prorsus diversis. *p*) Ab hoc tempore libris a se excusis addiderunt impressionis annum, & integra sua nomina, quum alii quoque typographi Germani *Petrus Caesaris*, & *Ioan. Stoll* officinas Parisiis erexissent.

Anno 1476 Gering & socii excuderunt *BIBLIA LATINA*, fol. mai. II. Voll. cum finali:

Iam tribus undecimus lustris Francos Ludovicus
Rexerat; Ulricus, Martinus, itemque Michaël
Orti Teutonia hanc mihi composuere figuram
Parisiis arte sua; me correctam vigilanter
Venalem in vico Iacobi Sol aureus offert.

Tribus lustris, i. e. 15. annos, regnaverat an. 1476 *Ludovicus XI.* qui successit patri Carolo VII. defuncto an. 1461 die 22. Iulii. *Maittairio* memoratur horum bibliorum exemplum, *q*) in quo pro *tribus undecimus lustris* perperam legitur *Semi undecimus lustrum:* quod si extat revera, callidi impostoris calamo, typos imitante, interpolatum est, eadem fallacia qua *Helwico de Exemplis* recentior manus literis typo simillimis adiecit, *Impressus in monasterio Sublacensi 1464:* quo deceptus *Meermann*, hunc librum 205. florenorum pretio emit, post vero, detecta fraude, bibliopolae reddidit. *r*)

Gering, *Friburger* & *Kranz* comparent adhuc omnes in *Leonh. de Utino Serm. Quadrages.* impressis *in Sole aureo in vico S. Iacobi prope S. Benedictum* an. 1478 die ult. Octobr. Post hunc vero mensem solus occurrit *Gering* in *Aristotelis Logicis*, aliisque libris an. 1478 & sqq. excusis. Sub finem anni 1483 Gering officinam suam transtulit in vici Sorbonae aedes, ad eandem proprietatis iure pertinentes, *s*) quas aeque *Solis aurei* insigni ornavit. Idem caelebs

p) Chevillier p. 66 sq. & 71.
q) Annal. typ. T. I. p. 41. & IV. p. 8.
r) Meermann Orig. Typ. P. II. p. 17 sq.
s) Chevillier p. 83.

quum Sorbonae domum quadam pecuniae summa iuvisset, pleni in ea hospitii ius impetravit anno 1494; *t*) quo etiam novum sibi adiunxit socium *Bertholdum Rembolt*, quocum an. 1495 excudit *S. Gregorii Moralia in Iob* cum finali: *Per Udalr. GERING Constantiensem. & Bertholdum REMBOLT Argentinensem Socios in Sole aureo vici Sorbonici commorantes.* Hi socii, praeter multa Theologici & Iuridici argumenti volumina, excuderunt an. 1498 *Virgilium quam tersissime: u*) de quo & quinque aliis libris per *Geringium* an. 1478 excusis, *Chevillier* pag. 72. & 119. sic iudicat: „Ils „sont d'une grosse lettre *romaine* nette & bien formée; les belles „éditions de Venise faites par *Jean* & *Vendelin de Spire*, *Nicolas* „*Jenson*. *Jean de Cologne* &c. n'ont rien audessus de celles-ci." Contra *Maittaire: x*) „*Germanos* certe qui *Parisiis* consederunt, „nostras *Gallus* (*Nic. Ienson*) *Venetiis* in arte consummanda longe multumque superavit." Ultimus liber, *Geringii* nomine signatus, gerit annum 1508.

Secundum Parisiis typographeum an. 1473 erexerunt duo quoque Germani *y*) socii PETRUS KAISER, latine *Caesaris*. Artium magister, & *Io.* STOLL. quorum prior solus comparet in *Guidonis Manipulo Curatorum* an. 1475, qui habet in fine: *Per venerabilem virum Petrum Caesaris. in artibus Magistrum. ac huius artis industriosum opificem.* De his monet *Mercier* pag. 124 sq. „Ces „artistes souvent, sans se nommer, ont simplement indiqué leur „demeure, *in vico S. Iacobi iuxta domum Praedicatorum.* ou même „seulement leur enseigne, *sub signo Follis viridis:* d'autre fois ils „se sont bornés à transcrire les souscriptions des MSS... mais „toujours la singularité de leurs caractères *majuscules* les décèle. „Les livres qu'ils imprimèrent sont en très-grand-nombre... „*Maittaire* & d'autres en ont attribué plusieurs à *Gering*... *Cesaris* sur la fin de sa vie habita la même rue, à l'enseigne du „*Cygne* & du *Soldat*... *Gering* imprimoit-il un livre, dès l'année „suivante le même livre paroissoit chez *Cesaris.* C'est chez ce

t) Docum. ap. eundem p. 84 sqq.
u) Maittaire T. IV. p. 60.
x) Tom. IV. p. 7.
y) Chevillier p. 55.

„dernier que fut imprimé le *Solini Polyhiſtor*. z) ſans aucune „noté d'édition, mais avec les caractères majuscules ſinguliers, „qui caractériſent l'Imprimerie de *Ceſaris* ... Cette édition de „*Solin*, donnée par les ſoins de *Guill. Tardif*, eſt une nouvelle „preuve que le roman de *Florius* fut publié dans la même im-„primerie, & par les ſoins de ce même *Tardif*, ami de l'Auteur.“ *Chevillier* p. 57. obſervat: „Les livres de *Ceſaris* & *Stoll* ſont en „lettres *romaines*, mais beaucoup moins belles que celles des „premières éditions de *Gering* jusqu'en 1472.“ Conf. Chevillier p. 36. *Caeſaris* & *Stollii* typis excuſi ſunt inter alia an. 1475 *Valerius Max.* & *Senecae Epiſtolae;* an. 1476 *Guill. Ockami Dialogus* de Haereſi & *de dogmatibus Iohannis Papae XXII.* II. volum. in fol., a) an. 1477 *Cicer.* de *Finibus* & *Tuſcul. Quaeſt.*, cum Epigrammate *Erhardi Windsberg*, in quo ſingulares *Caeſaris* & *Stollii* maiuſculas literas vocat *cephaleas vulgares.* b)

Primis his Lutetiae typographis Germanis ſucceſſerunt quamplurimi alii, Galli fere omnes, pauci Germani. „Nullibi quan-„tum novi, inquit *Maittaire*, c) ſi *Venetias* excipias, magis quam „*Pariſiis* increvit Typographorum numerus.“ Princeps eſt *ANTONIUS VERARD*, qui ab anno 1480 per vicennium permultos libros, gallico praeſertim ſermone, excudit, charactere gothicam quidem figuram referente, nitido tamen & ſpecioſo. Extant inter illos ingentia romanenſium de *Equitibus erabundis* fabularum volumina ab eo vulgata. d)

IODOCUS BADIUS Aſcenſius, *Aſcae* in agro *Bruxellenſi* natus, antequam *Pariſiis* typographiam exerceret *Lugduni* Poëtas publice litterarum ſtudioſis expoſuit: ſimul correctoris munere functus eſt in officina ſoceri ſui *Io. Trechſellii*, Germani, ex qua an. 1495 prodiit *Ockami Dialogus* de Haereſi cum Epiſt. *Badii* dedicat. ad Io. Trithemium. Eodem anno *PARISIIS* ex ipſius Badii prelo emiſ-

z) Panzer T. II. p. 344.
a) Chevillier p. 56. Du Pin Hiſt. des Controv. du XIV. ſiécle. Paris 1697. p. 222 ſqq.
b) Panzer T. II. p. 280.
c) Annal. Typograph. T. IV. p. 52.
d) Ibidem p. 36.

sae sunt *Politiani Orationes pro Senensibus & Florentinis*, & an. 1497 *Vallae Elegantiae L. Latinae.* e) Secutus usque in annum 1535 insignis auctorum veterum & recentiorum numerus, quorum nonnullos suis notis illustravit *Badius.* Saepissime vero alios quoque Typographos adhibuit socios. An. 1512 excudit *Erasmi Encomium* MORIAE, quod etiam sine nota anni apud *Aegid. Gourmont* prodiit. Hic liber tantum turbarum excitavit, ut eius *Apologiam* scriberent *Thomas Morus*, & ipse *Erasmus*, qui in sui praesidium etiam provocavit ad Leonis X. iudicium, quod refert in Epist. ad Io. a Lovanio: f) *Summus Pontifex perlegit Moriam, & risit, tantum hoc adiecit: Gaudeo nostrum quoque Erasmum esse in Moria. Iodocus Badius* filium habuit *Conradum Badium*, aeque Typographum eruditum, qui an. 1549. *Genevam* sibi sedem elegit: insuper tres generos Typographos, ROBERTUM STEPHANUM, de quo mox plura, *Io. Roigny*, & MICH. VASCOSANUM, cuius operum copiam, nitorem, correctionemque, inprimis singulares *Ciceronis* librorum editiones mirantur omnes. g)

IOANNES PARVUS (*Jean Petit.*) nobilis bibliopola & typographus, subinde cum *Iodoco Badio* consociatus, ab an. 1501-1536 quamplurima Veterum & Recentiorum scripta tam ex proprio prelo emisit, quam suis sumptibus per alios typographos excudi curavit. Cum eius insigni sine nota anni prodiit *Erasmi Moria.*

Aegidius GOURMONT inter Parisinos typographos primus *Graece & Hebraice* libros excudit an. 1507 & 1508, curante *Franc. Tissardo.*: h) an. vero 1512 *Hieron. Aleandri*, post Cardinalis, Lexicon Graeco-Latinum. Hunc Aleandrum iam supra pag. 181. citavimus inter Aldinae Venetiis Academiae membra.

ROBERTUM STEPHANUM, *Iodoci Badii* generum, *Thuanus* i) sic celebrat: „*Rob. Stephanus*, Parisiensis typographus regius, secundum *Aldum Manutium* Romanum, qui Venetiis, & *Ioannem* „*Frobenium*, qui Basileae eandem artem summa laude exercue-

e) Panzer T. II. p. 309. & 318.
f) Tom. II. Opp. col. 1667.
g) Maittaire T. II. p. 547. Chevillier p. 146.
h) Chevillier p. 251. Maittaire T. II. p. 101 sq.
i) Histor. L. XXIII. Parisiis 1606. fol. p. 648.

„runt, clariſſimus: quos ille longo ſpatio ſupergreſſus eſt acri iu-„dicio, diligentia accurata, & artis ipſius elegantia: cui ob id „non ſolum Gallia, ſed univerſus Chriſtianus orbis plus debet, „quam cuiquam fortiſſimorum belli ducum ob propagatos fines „patria unquam debuit: maiusque ex eius unius induſtria, quam „ex tot praeclare bello & pace geſtis ad *Franciſcum* R. decus & „nunquam interitura gloria redundavit.“ Ipſe Paulus Manutius *k*) *Roberto Stephano diligentiorem in emendandis atque edendis Veterum Scriptis neminem ſecundum patrem ſuum* arbitrabatur.

Stephanorum familia per bina ſecula patriam et Genevam arte & doctrina ſua ornavit. Eius ſator fuit *Roberti Stephani* pater *Henricus Stephanus I.* qui an. 1509 excudit *Pſalterium quincuplex*. Gallicum, Romanum, Hebraicum, Vetus, Conciliatum, cum Praefat. *Fabri Stapulenſis*. Huius vidua nupſit *Simoni Colinaeo*, qui *Stephano* in officina ſucceſſit, & an. 1522. excudit *Novum Teſtam.* latine, minori forma; quo tempore privignum ſuum, *Rob. Stephanum*, 18 annos natum, typographeo praefecerat, quod ipſe profitetur his verbis: *l*) „Quum a vitrico meo impreſſum fuiſſet *Novum Te-„ſtam.* emendatum ſane, elegantique charactere excuſum ... quia „tunc *eius Typographiae praeeram*, quas in me tragoedias excita-„runt Theologi!“ Huic *Roberto* patris officinam tradidit *Colinaeus* circa an. 1526, comparata propria, in qua excudit 1534 *Novum Teſtam. Graece*, quod, obſervante *Millio*, *m*) in locis plus 150 a praecedentibus editionibus diſcrepat, non indicatis tamen fontibus, e quibus hauſtae ſunt illae diverſitates, quas vero pleras-que omnes in MSS. ſe deprehendiſſe teſtatur *Mill. Colinaeum Eraſmi Colloquia nuper* excudiſſe ſcribit ipſe Auctor an. 1527: *n*) quod opus uti *ſibi vehementer invidioſum*, *ita Typographis bene lucroſum* fuiſſe dicit. *o*) Idem porro anno 1529: „Colineus excuderat, ut „aiunt, *ad viginti quatuor millia Colloquiorum*, in modum enchi-„ridii, ſed eleganter.“ *p*) Factum hoc eſſe putat *Chevillier* p. 177

k) in Scholiis in Cicer. Epiſt. famil. ap. Maittaire Tom. II. p. 438.
l) in Reſponſ. ad Cenſuras Theolog. Pariſ. an. 1532. ap. Maittaire Tom. II. p. 634.
m) in Prolegom. ad Nov. Teſt. num. 1144.
n) in Epiſt. ad Vergaram, Tom. III. Opp. col. 1014.
o) in Epiſt. ad *Quirinum Taleſium*, ibidem col. 1456.
p) in Epiſt. ad Valdeſium, ibid. col. 1168.

circa an. 1526; quo tempore *Erasmus q*) scripsit, *Subodoror regiam aulam sublutherizare*, quum Franciscus I. patrocinio iuvaret *Ludov. Berquinum*. Hic quum post an. 1529 tanquam haereticus Lutetiae exustus esset, eius supplicium narrans *Erasmus* addit, *r*) *virum fuisse incorruptissimis moribus, causam habuisse non omnino malam, reluxisseque in eo mentis sibi bene consciae tranquillitatem. Colinaeus* usque in an. 1536 artem exercuit.

ROBERTUM STEPHANUM I., quod monet *Maittaire, s*) „linguam *Latinam, Graecam, Hebraeam* perfecte calluisse, testantur „Opera ab eo conscripta & excusa, *Praefationes* multae *Graecae* „& *Latinae*. *Thesaurus Latinus* absolutus an. 1543, & *Graecus* susceptus, bonaque parte elaboratus, & quaedam ad explicandas „*Veteris Testam.* phrases pertinentia an. 1558."

Regii typographi munere ornatus an. 1539, typis nitidissimis Latinis, Graecis, Hebraicis, regio sumptu sculptis, *t*) insignem librorum numerum excudit. Quod ut felicius exsequeretur, decem partim literatos, partim literatissimos viros, teste *Henrico* filio, *u*) domi habuit, quorum aliqui correctorum munere fungebantur. Iuvit quoque Rob. Stephanum *Guil. Budaeus*, graece doctissimus, quem Franciscus I. bibliothecae suae, multis codicibus, Graecis inprimis, auctae praefecerat, eiusque hortatu Parisiis an. 1531 Regiorum Professorum cathedras erexerat, adhibitis praestantissimis artium ac literarum magistris. *x*)

Imprimendi munus Rob. Stephanus auspicatus est a *Ciceronis Epist. famil.* an. 1526, cuius aliqua subinde opuscula, tandem omnia simul elegantissime excudit an. 1539. Praeter eum optimos quosque Auctores modo nude, modo cum commentariis dedit;

q) in Epist. ad Goclenium, in Vita Erasmi Lugd. Bat. 1649. p. 174.
r) in Epistolis ad Bilib. *Pirkheimerum*, ad *Utenhovium* & ad *Colsterum*, Tom. III. Opp. col. 1189. 1206. & 1468.
s) Tom. II. p. 438.
t) Rob. Stephanus in Praefat. ad Eusebii Hist. Eccles. 1544. ap. Maittaire Tom. II. p. 459.
u) in Epist. ad Paulum filium, adiuncta A. Gellio a. 1585. Chevillier p. 146.
x) Thuanus L. III. p. 76 sq. edit. Paris. 1606. fol.

in his *Terentium*, *Virgilium*, & *Ciceronem* saepius. Summa vero Roberti Stephani ars & industria eminuit in excudendis *Bibliis Latinis*, & in *Novo Testamento* Graece edito.

BIBLIA LATINA primum emisit in fol. an. 1528 *y*) cum Variis Lectionibus, & interpretatione Hebraicorum, Chaldaicorum, Graecorumque nominum propriorum tam virorum, quam populorum, urbium etc. in iis occurrentium. His primum insertus est *Hieronymi Prologus Galeatus*, quo libri Canonici ab Apocryphis distinguuntur. *Secundo* an. 1532 *z*) cum brevissimis Variorum interpretationibus, depromptis ex Hebraeorum commentariis. *Tertio*, anno 1540. *a*) In his multa ex vetusto codice reposita, veraque lectio Hebraeis Codd. congruens ad margines notata, singulorum Codicum indicio adiecto. *Quarto*, in 8. mai. minutis characteribus anno 1545 *b*) cum Annotation. quas ex ore Francisci *Vatabli* exceperant auditores docti, adiecta nova Bibliorum versione e regione *Vulgatae*. De his notis sic iudicat *Rich. Simon: c*) „Il y a peu „d'endroits du Texte qu'elles n'expliquent avec beaucoup de „netteté & sans digressions.“ Idem observat *Du Pin*, *d*) additque: „*Rob. Etienne* imprima en 1545 à côte de la *Vulgate* la nouvelle Version faite par *Leon Juda:* il y a de l'apparence qu'il retoucha les Notes de *Vatable*, qu'il défendit contre la Censure „des Théologiens de Paris, & elles ont été depuis presque généralement reçues & approuvées par les habiles gens .... Les Docteurs en Théologie de la Faculté de Paris n'avoient pas encore „assez de connoissance de la langue *Hébraïque*, & étoient scrupuleusement attachés à la Vulgate.“

Graecis typis elegantissimis Rob. Stephanus in folio excudit an. 1544 *Eusebium*, *Socratem*, *Sozomenum*, *Theodoretum* & *Evagrium*, item *Eusebii Praeparationem Evangelicam*, & anno post *Demonstrationem Evangelicam:* an. 1547 *Dionysium Halicarnasseum:* 1548 *Dionem Cassium:* 1551 *Iustinum Martyrem*. De quibus editio-

y) Maittaire T. II. p. 697.
z) Ibidem p. 763.
a & *b*) Ibidem p. 452. & 454.
c) Hist. Crit. du Vieux Testam. p. 542 sq.
d) Biblioth. des Auteurs Eccles. T. XIV. p. 175 sq.

nibus iudicat Chevillier p. 257: „Il faut rendre cet honneur à „*Robert Etienne* d'avoir porté l'impreſſion Grecque jusqu'au point „de ſa perfection.“ An. 1548 excudit *Budaei Commentarios L. Graecae* auctiores.

Novum Testamentum. Graece. per Rob. Steph. *quater* prodiit: an. 1546 & 1549 minutioribus typis in 12. Utramque editionem appellant *O mirificam*, quia earum Praefatio ſic orditur: „O mirificam Regis noſtri liberalitatem! *Minutiores* etiam cha„racteres *Graecos* ... exſculpi voluit, *prioribus* illis, licet omnium „pulcherrimis, elegantia pares. His igitur pro meo munere ad „uſum rei publicae mihi traditis, unde potius utendi initium, „quam a ſacris facerem? quid porro ſanctius, auguſtius, divi„nius Ieſu Chriſti, noſtrae ſalutis auctoris Evangelio? ... Quod „ut aſſidue dies noctesque mecum legatis, magnopere vos hor„tor.“ Editionem nobiliſſimam a. 1550 in folio, *regiis typis maioribus*, ſic laudat *Rich. Simon: e)* „On ne ſauroit aſſez admirer cette belle „édition, où *Rob. Etienne* donne des preuves de ſon érudition „& de ſon jugement.“ Ad marginem additae ſunt Variantes lectiones e XVI. Codicibus. Quarta Editio prodiit a. 1551 in forma minore, eaque Textum ſiſtit diſtinctum in *Verſiculos*.

Primam *Bibliorum Hebraicorum* editionem *typis regiis* Rob. Stephanus inchoavit an. 1536, in forma 4. abſolutam an. 1544 cum Comment. R. *Kimchi* ad Prophetas minores, a *Vatablo* emendatis. De his Bibliis *Chevillier* pag. 297: „On n'a rien „fait jusqu'ici qui ſurpaſſe en beauté cet ouvrage.“ *Secundam editionem* excudit an. 1546 in forma minore, priori longe correctiorem.

Anno 1552 *Rob. Stephanus* patriae valedixit una cum *Henrico*, filio natu maiori, ſuamque officinam tranſtulit *Genevam*. Cauſa migrationis haec fuit: *Novum Teſtamentum Graecum* a Rob. Stephano an. 1550 excuſum venalem exponi vetuerunt *Pariſienſes Theologi*, qui iam anno 1547. in eius *Annotationibus* in *Biblia Latina* 46 *Articulos* notaverant, tanquam Lutheranae haereſi faven-

e) Hiſt. Crit. du Nouv. Teſtam. Chap. 29. p. 340. Mill Proleg. num. 1221.

tes, adeo quidem ut carceri inclusus fuisset Robertus, ni novus Rex *Henricus II.* totius causae cognitionem suo vindicasset tribunali. Recrudescentem anno 1550 inter Theologos & Stephanum litem cum in Regis consistorio exponeret *Petrus Castellanus*. Aurelianensis Episcopus, & Aulici cleri Antistes (*Grand-Aumonier de France*) ingenue professus est: *Les Théologiens trouvent des Hérésies où il n'y en a point; & celà vient de ce qu'ils ignorent les langues Grecque & Hebraïque. f*) Ex iis enim, qui Graecas literas noverat, *Io. Gagneius* superiori anno e vita discesserat. Regio quidem patrocinio tutus videbatur Stephanus; succurrebat tamen ei triste fatum *Ludov. Berquini*. Consiliarii regii, Francisco I. carissimi, quem admonuerat Erasmus, *g*) *ut titulo legationis aliquo se subduceret. fugeret crabrones: expenderet sibi cum immortali adversaria rem esse: Facultatem enim non mori.* Igitur cautior Berquino Stephanus solum vertit. De hoc eius secessu *Thuanus h*) sic: „*Roberto Stephano*. „tot editis Hebraicis, Graecis & Latinis libris, indigna gratia repensa est a Theologorum nostrorum collegio, qui hominem „rei publicae invigilantem & quasvis aequas conditiones accipere „se paratum demonstrantem, non desierunt lacessere, donec ille „vexationum iniustarum pertaesus ex necessitate consilium cepit, „& relicta patria *Genevam* se contulit... ubi in opere assiduus „ad ultimum vitae spiritum, laudabile rei litterariae adiuvandae „propositum constanter tenuit, ac tandem, cum 56 annum vi„tae ageret, fatis concessit an. 1559.... *Robertus* filius, qui ean„dem artem *Lutetiae* summa cum laude exercuit, ab hereditate „paterna omnino exclusus est: quam *Henricus* tanto patre dignis„simus filius crevit, qui typographicam non solum longo tem„pore itidem postea exercuit; sed multa ad iuvandam rem littera„riam propria industria contulit, inter alia edito *Linguae Graecae* „copiosissimo *Thesauro.*" &c.

GENEVAE *Rob. Stephanus* excudit *Biblia Latina* an. 1555 in 8. & an. 1557 in fol. III. Voll. cum copiosissimis Annotationibus: utraque *versiculis* distincta. *i*) Talis distinctio iam occurrit in *Bi-*

f) Apud *Rich. Simon* Hist. Crit. du Vieux Testam. L. II. chap. 21. p. 329.
g) Ipso teste in Epist. ad *Pirkheimerum* & ad *Utenhovium*, Tom. III. Opp. col. 1190. & 1209.
h) Hist. L. XXIII. p. 648. edit. Paris. 1606. fol.
i) Maittaire T. III. p. 953. & 689.

bliis per *Santem Pagninum* versis, *Lugduni* an. 1527, ab *Antonio du. Ry* impressis. *k*)

Robertus Stephanus duos habuit fratres, *FRANCISCUM*, qui an. 1537 typographiam exercere coepit, & *Carolum*, Medicum Doctorem, Typographum regium, auctorem *Dictionarii Historico-Poëtici*. Is an. 1551 excudit *Appianum*, Graece, typis regiis; an. 1553 *Nov. Testam.* latine, in forma min.; an. 1555 *Ciceronis Opera*. *l*) De Roberti Stephani filiis, *HENRICO II.* & *ROBERTO II.* agunt *Almeloveen* & *Maittaire* in Vitis Stephanorum; item *Marchand*, *m*) qui confusos vulgo *ROBERTUM III.* & *IV.* accuratius distinxit.

Christianus WECHEL, Germanus, multis libris Lutetiae inde ab anno 1526 Gallice, Latine, Graece, Hebraice, nitide & accurate excusis, praecipuum inter artis magistros locum meruit. Ex eius prelo prodierunt plurima *Galeni* Opuscula, partim Graeca, partim Latine versa: item selectae ex auctoribus Graecis particulae; cuius instituti causam sic exponit: *n*) „Nam haec est, proh dolor! „praesens studiorum ratio, ut nemo fere bonas literas serio di„scat, praeter eos qui vel in re sunt tenuissima, vel sumptus pau„lo maiusculos ferre nequeunt. Quare cum in Authoribus profa„nis, tum in Bibliis Sacris excudendis faciendum duximus, ut „magna Volumina, in plures deducta Codices publicemus.“ *Wechelo* anno circiter 1554 defuncto in officina successit filius *ANDREAS*. Uterque religionis causa discrimen subierunt. Pater, quoniam vendendum exposuerat libellum *Erasmi de interdicto esu carnium*, a Sacra Facultate reprobatum, an. 1534 pecunia mulctatus est, teste *Chevillierio* pag. 353. Filius circa an. 1572 solum vertere coactus, *FRANCOFURTUM* concessit, ibique usque in annum 1582 plurimas auctorum veterum editiones non contemnendas excudit, plerasque *Frid. Sylburgii* labore & iudicio recognitas & illustratas ... Post *Andreae* obitum, eius generi *Io. Aubri* & *Claudius*

k) Marchand Dictionn. Hist. P. I. p. 232.
l) Maittaire T. III. p. 113. 268. 601. 618. 664.
m) Dictionnaire Histor. P. I. p. 233 sqq.
n) ap. Maittaire T. II. p. 408.

de Marne, officinae famam interire non passi, *typis Wechelianis* libros imprimere perrexerunt.

BASILEENSES OFFICINAE.

Basileae Typographiam primus exercuisse videtur *Bertholdus*; qui sine nota anni excudit *Conr. de Mure Repertorium vocabulorum*, *oratoriae*, *poëseos* & *historiarum*, EDITUM & *completum* an. 1273; unde quoque firmatur id quod supra p. 206. monuimus, *editos* quoque appellatos esse libros *manu scriptos*. Hic *Bertholdus*, cui cognomen *Rodt* fuisse dicit *Conr. Gesner*, *o*) idem forsan est cum *Bechtoldo* vel *Bechtolfo von Hanau*, qui ut *Gutenbergii* minister, & ab eius parte testis, cum *Henr. Kefero*, comparet in Instrum. Helmaspergeri an. 1455. *p*) Typorum in Repertorio adhibitorum specimen exhibet *Braun*, *q*) insuper observans, *r*) iisdem typis excusum esse *Tomum primum* BIBLIORUM LATINORUM in fol., sine anno, loco & typographo, qui finitur Psalterio, & *lineas 50* in quavis columna gerit, excepta prima, quae 48. linearum est. *Initiales* singulorum librorum & capitum literae non impressae, sed *manu appictae* sunt. *Tomus secundus*, 48. lineas in columna gerens, eodem *Braunio s*) observante, exaratus est iis BERN. RICHELII typis, quibus usus est in *Decreto Gratiani* Basileae an. 1476, *initialibus* literis *florentibus*, *ligno insculptis*. Duo hi Bibliorum Tomi uno volumine compacti sunt tam in *Argentinensi* exemplo, quod fuit olim Carthusiae, quam in *Augustano* apud Veithios fratres. *t*) Alia horum Bibliorum exempla, in duo licet volumina divisa, eandem tamen habent veteris aevi ligaturam. Unde colligere licet, primos Basileae typographos, *Bertholdum* & *Richelium*, coniunctis viribus hoc opus exarasse. Utriusque Tomi specimen typorum exhibet *Fossius*. *u*)

o) in Biblioth. Univ. artic. Meffret.
p) ap. Schwarz de Orig. Typ. P. I. p. 7.
q) in Notitia librorum Sec. XV. impress.
r) Ibidem P. I. p. 53.
s) Ibidem p. 54.
t) Ibidem.
u) in Catal. biblioth. Magliabech. Florentiae 1795. T. I. p. 320.

Primi cum nota anni Basileae excusi libri gerunt annum 1474: 1. *Der Sachsenspiegel* per *Bernhart* RICHEL: *x*) 2. *Calderini Speculum Iuris*, sine Typographi quidem nota, sed iisdem typis, quibus *Mich.* WENSLER usus est in *Gasparini* Epistolis sine anno. *y*) RICHELIO debentur BIBLIA LATINA *z*) in fol. sine anno, loco & typographo, linearum 48. raro 49, cum initialibus literis tam *Librorum*, quam *Capitum*, *florentibus*, *ligno incisis*. Has Initiales easdem esse cum Initialibus Psalterii Faustiani, perperam sibi persuasit *Knoch. a*) Rectius *Fournier: b*) *Ces lettres diffèrent, par le goût & par l'exécution, de celles que Schoeffer a employées dans les deux éditions du Pseautier & dans le Rationale.* Librorum *Tituli* & *Epilogi* rubro colore excusi sunt. Post Apocalypsin legitur: *Et sic est finis.* Sequitur *Menardi* Epistola de libris S. Scripturae, eiusque sensu literali, mystico, morali ac spirituali, cum subiunctis versibus: *Qui memor esse cupit* &c. Duo ultima folia continent *Eusebii Canones* X. Concordantiae *Evangelistarum* &c. *Secunda* horum Bibliorum Editio, primae simillima, verbis, *Et sic est finis*, adiectum habet annum 1475. *Tertia* vero annum locum & typographum indicat: ibi enim in fine Apocalypseos ante Menardi Epistolam legitur. *Impressum per me bernardum richel civem basileensem sub anno incarn. dom. M. CCCC. LXXVII.* &c. Adiiciuntur *Richelii* insignia. *c*)

Basileensibus Bibliis accensenda videntur *Biblia Latina* in fol. 47. linearum: quorum annum, locum & typographum nullo prorsus modo colligi posse, putat *Panzer. d*) Typographum tamen prodere videntur initiales periodorum literae maiusculae, quibus quoque usus est *Bertholdus* in *Conr. de Mure Repertorio*, & in supra memorato Bibliorum *Tomo primo*, qui *Bertholdo* adscribitur. Duplex est Bibliorum cum 47. lineis editio, sed vix animadvertendae diversitatis, qualem inter duas Eggesteinianas esse, supra pag.

x) Panzer Annalen d. deutschen Litter. p. 80.
y) Idem Annal. typ. T. I. p. 145. & 194.
z) Panzer T. I. p. 192.
a) Braunschw. Bibelsamml. p. 718.
b) De l'Origine de l'Imprim. p. 244. & p. 223.
c) Panzer T. I. p. 146 sq.
d) Tom. IV. p. 96. num. 187.

62 sqq. ostendimus. Ad earum alteram pertinet exemplum Vindobonense caesareum, cui miniator subscripsit: *Biblia finit 1474.*

An. 1475 *Richel* cum *Wenslero* excudit *Rob. de Licio Quadragesimale; solus* vero 1476 *Decretum Gratiani* cum Glossa, initialibus literis ligno incisis, appositisque suis insignibus; & an. 1482 *Fasciculum Temporum* cum figuris. E *Wensleri* prelo usque in annum 1491 nitide prodierunt quamplurima maximae formae volumina, in his *Decretum Gratiani* ter, & *Decretales Gregorii IX.* cum Wensleri insignibus.

IOANNES DE AMERBACH inde ab anno 1481 typographicis operibus inclaruit. *Augustinum in Psalmos* 1489 „quanto studio „castigaverit, iudicent, inquit, qui hanc editionem aliis *sive ma-* „*nu scriptis sive aere impressis litteris* contulerint;" quae verba, ab eo in *Antonini Summa Theol. moralis* 1511 repetita probant, quod supra demonstravimus, *ligneis* mobilibus typis nullos unquam libros fuisse excusos. In *Ambrosii* Operibus an. 1492 excudendis, uti supra p. 204. dictum est, quoad *Epistolas* charactere usus est romano. Sumptibus *Antonii Kobergeri* a. 1502 consummavit *BIBLIA LATINA* cum Postilla *Hugonis de S. Caro.* VII. Voll. in folio, quae iterum excudit an. 1504. An. 1506 cum *Ioanne Petri de Langendorf.* & *Io. Frobenio* emisit *Augustini Opera* IX. Tomis in fol. *Hieronymi* Opera excusurus filios *Brunonem, Basilium* & *Bonifacium* Hebraicae, Graecae & Latinae linguae peritia institui curavit, qui post patris obitum, *Frobenio* atque *Erasmo Hieronymi* Opera edentibus insignem praestiterunt operam, uti mox videbimus. *e*)

Eodem charactere, quo Basileae 1481 exaratum est *Nideri Praeceptorium divinae legis.* sine nota Typographi, excusa sunt *BIBLIA LATINA* an. 1479 & 1481, sine loco & typographo, in quibus primum occurrunt versus illi: *Fontibus ex grecis hebreorum quoque libris emendata satis & decorata simul Biblia sum presens superos ego testor & astra: est impressa nec in orbe mihi similis* &c. *f*) Iidem versus leguntur in editione sine anno, & in editionibus ann. 1482, 1483,

e) Erasmi Epist. praefixa Augustini Opp. a. 1529. ap. Maittaire T. I. p. 142.
f) Panzer T. IV. p. 20. 25. 29. 30. 35. 38. & sqq. Knoch p. 775. & 781.

1485, 1486, 1487 & 1489, ſine loco & typogr. Verſio eadem eſt quae in omnibus Vulgatae editionibus, ad Venetas quam proxime accedens. *g*)

Nic. Kessler an. 1487 excudit *Petri Lombardi Sententias, eneis caracteribus*, item *Biblia Latina*, repetita anno 1489 ſine nota loci & typographi, iterumque anno 1491. Poſteriora haec duo Biblia omnium, uti videtur, prima gaudent Titulo, unica tantum voce *Biblia* abſoluto, quae habetur in primo libri folio. *h*) (Talem titulum e Bibliis Germanicis prima gerunt Auguſtana *Io. Otmari* an. 1507.) Excuſa a Keſslero *Io. Gerſonis* Opera, cum *Repertorio Iuris, aere ſculpta*, ſupra iam memoravimus pag. 94.

E *Mich. Furteri* officina an. 1494 prodiit *Reformatorium vite morumque & honeſtatis Clericorum ſaluberrimum: cum fraterna quadam reſipiſcendi exhortatione & ad penitentie portum applicandi admonitione. cum expreſſione quorundam ſignorum ruine & tribulationis eccleſie.* in 8. Datum mendoſe habet M. CCCC. XLIIII. pro XCIIII. *i*)

Io. Froben de Hammelburg Fuldenſis ditionis, qui dum Baſileae artibus & linguis incumberet, *k*) *Io. Amerbachio* & *Io. Petri* correctoris operam praeſtitit, inde ab anno circiter 1491 ipſe officinam erexit, ex qua poſtea praecipuas ſuas lucubrationes prodire voluit *Eraſmus*, cuius diuturno contubernio cum Io. *Frobenio*, mutuoque eorum amore plusquam fraterno, inſignis Frobeniano typographeo ipſique Baſileae gloria acceſſit. Iuvat referre quae in Frobenii an. 1527 extincti laudem in Epiſtola ad Io. Emſtedium ſcripſit Eraſmus: *l*) „*Io. Frobenii* mors inopinata ſic afflixit animum meum, ut moerorem nullis avocamentis potuerim eximere praecordiis ... Nunquam antehac expertus ſum, quantam vim haberet ſincera amicitia ac mutuus animorum nexus. Fratris germani mortem moderatiſſime tuli, *Frobenii* deſiderium ferre non poſſum ... Magis amabam illum ob liberalia ſtudia, quibus

g) Maſch Biblioth. Sacra Vol. III. p. 85 ſq.
h) Knoch p. 801. & 803.
i) Panzer T. I. p. 176. Mercier in Mémoires de Trevoux Année 1764. Juillet, Vol. I. p. 103-137.
k) Adamus in Vita German. Philoſoph. p. 63.
l) Tom. III. Opp. col. 1053.

„ornandis provehendisque vir ille, fatorum providentia, datus „videbatur, quam ob animum in me propensum, moresque can„didissimos... Solus erat amico amicus, tam promptus & alacer „ad bene merendum de omnibus, ut indignis etiam ex ipso be„neficii quippiam accessisse gauderet. Ereptam furto, aut a ma„lae fidei debitoribus interceptam pecuniam ea solebat alacritate „commemorare, qua lucrum praeter spem obiectum alii. Ut ipse „fraudem nemini machinabatur, ita de nullo tale quicquam su„spicari poterat, tametsi non raro delusus. Quid esset invidiae „morbus, nihilo magis imaginari potuit, quam ii, qui caeci na„scuntur, animo fingere possint, quid sit color. Offensas quam„vis capitales prius condonabat quam rogaret is qui offenderat. „Nec ullius omnino iniuriae poterat meminisse, contra nullius „quamlibet vulgaris officii poterat oblivisci... Nunquam vidi „laetiorem quam quum vel dolo perfecisset vel precibus impe„trasset, ut aliquid acciperem... nec unquam magis opus erat „mea rhetorica, quam ad excogitandum colorem, quo, citra „molestiam amici, recusarem quod ingerebat: tristem enim illum „videre non sustinebam. Tale certamen inter nos fuit assidue, „longe diversum a vulgi moribus, dum alter hoc agit ut abra„dat quam plurimum, alter agit ut det quam minimum. Ne „quid omnino daret, efficere non potui; certe moderatissime il„lius benignitate usum esse me testabitur, ut arbitror, omnis il„lius familia. Mihi quicquid laborum suscipiebatur, amore stu„diorum suscipiebatur. His cum ille cohonestandis, illustrandis „provehendisque natus videretur, nec ullum defugeret laborem, „nullas vigilias, satis magnum quaestum esse ducens, si bonus „Auctor cum dignitate prodiret in manus hominum, quî potuis„sem in hominem sic animatum praedonem agere? ... Ex huius „domo paucis annis quae Volumina quanta cum dignitate pro„dierunt? Eoque suam officinam a contentiosis libellis, unde „quaestum haud mediocrem fecerunt alii, semper immunem „servavit, ne literas ac disciplinas aliqua contaminaret invidia. *Hie„ronymum* bis excuderat.“ &c.

Eundem sincerae amicitiae sensum spirat Epitaphium, quo insignia Frobenii merita celebrat Erasmus:

Arida IOANNIS tegit hic lapis ossa FROBENI,
Orbe viret toto, nescia fama mori.
Moribus hanc niveis meruit studiisque iuvandis,
Quae nunc moesta iacent orba parente suo.
Rettulit, ornavit veterum monumenta sophorum
Arte, manu, curis, aere, favore, fide.
Huic vitam in coelis date numina iusta perennem,
Per nos in terris fama perennis erit.

Frobenium, eiusque gratia Basileam, quanto affectu complexus sit Erasmus, testatur porro Epistola eius ad Pirkheimerum: *m*) „Quum iam vix invidiam Principum & obtrectatorum apud meos „sustinerem, qui iactabant me non tot annos in ea civitate com„moratutum fuisse, nisi tacitus probarem quae illic gererentur... „me magis etiam animaret *Ferdinandi regis* voluntas... *vehemen„ter inviti Basilea discedebamus.* Ante *annos quindecim* coepi cum „ea civitate habere commercium, quam toties *e Brabantia recur„rens* invisi, denique *annos ferme octo perpetuo illius hospitio sum „usus,* commodo sane bonoque: ibi *Io. Frobenius* obtigerat ami„cus, quo sinceriorem ne optare quidem a superis poteram, nec „alius erat in me *totius familiae* animus; unde & *mea erga liberos „benevolentia* nihil illius morte est imminuta. Proinde civitatem „illam propemodum *adoptaram in patriae locum*... Id quod na„vim ingressurus tetrasticho sum testatus, quod aureus ille *Boni„facius Amerbachius,* qui profectionis fuit comes, suis tabellis ex„cepit, est autem plane nauticum:

Iam, BASILEA, vale, qua non urbs altera multis
Annis exhibuit gratius hospitium.
Hinc precor omnia laeta tibi, simul illud, ERASMO
Hospes uti ne unquam tristior adveniat.

Repetitis vicibus Basileam invisit Erasmus. Ante primum eius adventum *Frobenius* an. 1491 iam excuderat *BIBLIORUM LATINORUM* editionem in 8. charactere minutissimo, cum versibus: *Fontibus ex Grecis Hebreorum quoque libris* &c. repetitam a. 1495, cum carmine, quod sic terminatur: *n*)

m) Tom. III. Opp. col. 1218.
n) Utramque editionem recenset Knoch p. 805—812.

Huic neque consimilem reputes quem pressimus olim:
Nam veterem errorem tersimus atque notas.
Proinde potes posito librum hunc tractare timore
Quem Basilea tibi (pacis alumna) dedit.

An. 1494, socio *Io. Petri de Langendorf.* dederat *Lirani Glossam in Biblia* IV. Voll. in fol. & 1498 *BIBLIA LATINA* cum *Lirano* VI. Voll. repetita 1506. De *BIBLIIS LAT.* quae cum *Io. Amerbachio.* & *Io. Petri* inde ab an. 1498 - 1502 absolvit, supra iam diximus pag. 220. An. 1513 recudit *Erasmi Adagia.* uti vidimus pag. 181, & quidem inscio Auctore.

Basileam advenit Erasmus anno 1514, salutato prius *Argentorato.* a cuius reipublicae Proceribus perhonorifice se exceptum gratus testatur in prolixa ad *Wimphelingum* Epistola, *o*) qua Argentinensem civitatem & sodalitatem literariam summis laudibus evehit. Basileae per *octo menses* moratus, *p*) Frobenio excudendum commisit *NOVUM TESTAMENTUM Graece.* a se *Latine* versum cum Annotationibus, in quibus recognoscendis & locupletandis se adeo occupatum fuisse scribit, ut vix capiendi cibi sibi suppeteret otium. *q*) Quo tempore *Frobenius* etiam, uti supra diximus, curantibus *Amerbachiis fratribus* & *Beato Rhenano. Hieronymi Opera* excudere coeperat; de quibus *B. Rhenanus*: „Placuit *r*) *Erasmo* „novo hospiti statim in aedes *Frobenianas* recepto, Editionis ni„tor; sed inprimis incredibilis fratrum *Amerbachiorum* in casti„gando diligentia. Ipse ergo, si quando consulebatur, ubi iudicio „opus erat propter Exemplarium variationem, nusquam deerat. „Verum *Epistolarum* volumina sibi peculiariter vendicabat, par„tim absolvendis scholiis quae iampridem coeperat, partim no„vis addendis & Argumentis adscribendis occupatus."

An. 1516, dum ex Anglia redux *Erasmus* haereret in Brabantia, e Frobenii prelo prodiit *NOVUM TESTAMENTUM* Graeco-

o) ap. Riegger Amoen. Friburg. Fasc. II. p. 371. Cf. supra p. 82.
p) Erasmi Epist. ad Cardin. S. Georgii T. III. Opp. col. 146.
q) in Epist. ad Wimphel. l. c. p. 369.
r) in *Vita Erasmi* praefixa illius Operibus Basileae 1540. Cf. Epist. Erasmi ad Leonem X. T. III. Opp. col. 154. & eam quam praefixit *Augustini* Operibus a. 1529. ap. Maittaire T. I. p. 142.

Latinum cum Erasmi Annotationibus in folio, quae Graecarum Novi Testamenti editionum omnium prima fuit, ante *Complutensem*, anno 1514 absolutam quidem, sed 1520 demum publici iuris factam; conf. supra pag. 185. Palmarium hoc Erasmi opus repetitum est annis 1519, 1522, 1527 & 1535, uti mox videbimus. Anno 1516 lucem quoque viderunt *HIERONYMI OPERA*. Tomis IX. *in Officina Frobeniana: impendio Brunonis, Basilii & Bonifacii Amerbachiorum ac Io. Frobenii* &c. praemissa Dedicatione *Erasmi* ad *Guil. Warhamum*, Cantuariensem Archiepiscopum, quem in Epist. ad Cardin. Grymanum, anno 1515 scripta, *s*) benignissimum Mecaenatem suum appellat. Eodem anno & sequentibus *Querela Pacis, undique gentium eiectae profligataeque*.

An. 1517 Lud. Baer Erasmum *t*) denuo evocavit Basileam his verbis: „Maximis pollicitis invitaris a Rege *Francorum*, a plu„rimis *Pontificibus*, a Cardinali *Toletano*, ab *Anglis* & aliis Prin„cipibus. Sed utinam illis omnibus relictis, ad nos *Basileam* re„vertaris... Tanto tui desiderio afficitur *Io. Frobenius*, hospes „tuus, vir summa integritate, ut frequentius ad me dixerit, se „ad vitam suam tibi in annos singulos daturum *centum aureos*, „si huc revertaris apud eum mansurus." Qui quum anno sequenti *Basileam* invisisset, *u*) Bruxellas redux scripsit: „Eloqui vix pos„sum, quantopere mihi placeat hoc coelum *Basileense*, quanto„pere genus hominum; nihil illis amicius, nihil sincerius. Quot „me comitabantur equis abeuntem, quibus lachrymis dimise„runt?"

Erasmi *NOVUM TESTAMENTUM Graeco-Latinum* iterum excudit Frobenius an. 1519 & quidem „multo quam antehac di„ligentius recognitum, emendatum ac translatum, cum Anno„tationibus magna accessione locupletatis." In Apologia primae editioni praemissa cum auguratus esset Erasmus, proditurps esse e Theologorum grege, qui reclamarent, sycophantis his ut os obturaretur, mediante *Bombasio x*) a *Leone X.* obtinuit anno 1518

s) Opp. Tom. III. col. 142.
t) Erasmi Opp. T. III. col. 1607.
u) Vid. Epist. ad Thomam Morum l. c. col. 1680. & 380.
x) Bombasii Epist. ad Erasmum T. III. Opp. col. 351.

Breve, praefixum editioni 1519, in quo ſcribit Summus Pontifex: „Valde nos delectarunt lucubrationes tuae in *Teſtamentum* „*novum* iam pridem editae, non tam quia noſtro nomini dicatae „erant, quam quod non vulgari, ſed nova & inſigni quadam eru„ditione praeſtabant, omniumque doctorum calculo plurimum „laudabantur. Quas nuper a te *recognitas*, & *pluribus additis Anno*„*tationibus locupletatas* illuſtratasque fuiſſe certiores facti, non me„diocriter gaviſi ſumus, ex *prima* illa editione, quae abſolutiſſi„ma videbatur, coniecturam facientes, qualis haec futura, quan„tumque boni ſacrae Theologiae ſtudioſis ac orthodoxae fidei no„ſtrae ſit allatura."

An. 1521 Frobenius excudit *Tertulliani* Operum editionem principem, curante *B. Rhenano*. Eodem anno vergente *Eraſmus* Bruxellis, aula, Belgioque relictis, Baſileam rediit, praefuturus *tertiae* ſuae *Novi Teſtamenti* editioni, *y*) quae prodiit an. 1522. Huic primum inſeruit ad 1. Ioh. V. verſiculum de *Tribus in coelo teſtibus*, fide Codicis *Britannici*, quem tamen ipſe iam ſuſpicatus erat ad *Latinos* codices eſſe correctum. Hodie ſatis conſtat, illum Codicem, qui nullibi in Angliae bibliothecis reperitur, Excerptum tantum quoddam fuiſſe, Eraſmo transmiſſum, quod etiam monet *Bengel* in Apparatu Crit. ad Nov. Teſtam. p. 454 ſq. edit. 1763.

E Frobenii prelo porro prodierunt anno 1522 *Eraſmi Apologiae omnes*, inprimis adverſus *Stunicam*, qui teſte *Bombaſio*, *z*) iam monitus fuerat a Leone X, ne in poſterum Eraſmi nomen proſcinderet. Quod memorans *Rich. Simon a*) addit: „En Eſpagne „& à Rome les Catholiques les mieux ſenſés avoient de la peine „à arrêter les emportemens des Théologiens & des Moines, qui „s'étoient déchaînés contre Eraſme .... qui paroiſſoit fort éloi„gné des ſentimens communs des Théologiens de ſon tems; & „cela ſeul ſuffiſoit pour le décrier comme un fauteur de Luther." Eodem anno Frobenius excudit *Eraſmi Paraphraſes in Matthaeum & in Epiſtolas Apoſtolicas omnes*; porro 1523 eiusdem *Paraphraſes*

y) Eraſmi Epiſt. ad Laurinum col. 750.
z) in Epiſt. ad Eraſmum. T. III. Opp. col. 647.
a) Hiſt. Crit. des Commentateurs du Nouveau Teſtam. p. 534.

in Ioannem & Lucam. item *Hilarium Pictaviensem*, cura *Erasmi*. eiusdemque *Spongiam* adversus *Huttenum*. de qua supra pag. 76: an. vero 1524 *Erasmi* diatriben *De libero arbitrio*. adversus Lutherum. Instigante Angliae Rege ab invito auctore exaratam esse hanc diatriben, patet ex ipsis eius verbis: *b*) „Urgent complures, ma„xime *Principes*. ut scribam adversus *Lutherum*. Ego, si liceat, „pugnare malim adversus mundum pro gloria *Christi*.“ Et ex his: *c*) „Rex *Anglus* sic urget, ut scribam adversus Lutherum, ut videa„tur indigne laturus si pergam negare.“ Victus tandem Erasmus scripsit ad *Wolsaeum* Card. Eboracensem: *d*) „Serenissimi *Regis* „*tuamque* sequutus auctoritatem protinus & absolvi & edidi li„bellum *De libero arbitrio*... Opus hoc nemini volui dicare: „clamassent illico, me conductum in gratiam *Principum* haec scri„bere.“ Porro ad *Warhamum* Cantuariensem Archiep. scribit *Erasmus*, eique simul *pro aucta pensione* gratias agit: „*Regum* ami„citiam hactenus alui... A *Lutheranorum* arena lubens abstinuis„sem... Si nihil prodisset, habuissem illos infensos, quibus vi„sus fuissem obducere palpum.... Certe sic obturavero os istis, „qui *Principibus* omnibus hoc persuadere conantur, mihi *per om*„*nia* convenire cum *Luthero*.“ *e*)

In aliis praeterea maximi momenti Articulis *Erasmo* convenisse cum Luthero ostendunt sequentia ex eius *Annotationibus in Novum Testam.* edit. 1519 & sequentium excerpta. Ad verba Matth. XVII. 5. *Hic est filius meus dilectus: Ipsum audite*, haec annotat: „Unum „hunc doctorem creavit ipse *Deus Pater*. Hoc autoritatis nulli „Theologorum, nulli Episcoporum, nulli *Pontificum* aut Princi„pum tributum est... At nunc videmus dormitari passim ad „*Christi* doctrinam, ceu crassam ac rudem, & concionis auribus „inculcari quid dixerit *Scotus*. quid *Thomas*; quid *Durandus*. & plu„ris fieri inter Monachos quid statuerit *Benedictus*. aut *Bernardus*. „aut *Franciscus*. quam quod is docuerit de quo uno vox Patris „audita est.“ Ad 1. Cor. VII. prolixe de Divortio disputans, observat: „Si verum est, quod quidam asseverant, *Romanum Ponti-*

b) in Epist. ad Turzonem, Episcopum Olmucensem. T. III. Opp. col. 766.
c) Erasmus in Epist. ad Bilib. Pirkheimerum. T. III. Opp. col. 743 sq.
d) Tom. III. Opp. col. 809 sq.
e) Ibidem, & col. 813 sq.

„*ficem* errore iudiciali non posse unquam errare, quid opus *generalibus Conciliis?* Quid opus in Concilium accersere Iurisconsultos & Theologos eruditos, si pronuntians labi non potest? Cur „datus est *appellationi* locus vel ad *Synodum*, vel ad eundem *rectius edoctum*, posteaquam semel de causa pronuntiavit Pontifex? „— In Synaxi *transsubstantiationem* sero definivit Ecclesia: diu satis „erat credere sive sub pane consecrato, sive quocunque modo „adesse verum corpus Christi." Hinc *Stunica* in Praefatione *Erasmum* appellavit *non solum Lutherianum, sed Lutherianorum signiferum ac principem.* Post editum *De libero arbitrio* libellum Erasmus in citata Epistola ad *Warhamum* scripsit: „*Clemens VII.* misit ho„norificum *Breve* cum *centum angelatis*, maiora pollicens: *Stu„nicae*, qui nullum insaniendi finem videbatur facturus, silen„tium imposuit." In Epistola ad *Pirkheimerum* an. 1524. d. 21. Iulii *f*) vero narrat: „Scripsit ad me *Martinus Lutherus* per *Ioa„chimum* quendam (*Camerarium*) satis humaniter: cui non sum „ausus pari humanitate respondere propter sycophantas: respon„di tamen paucis." Anno 1525 Frobenius excudit *Erasmi Hyperaspisten* adversus *Lutheri Servum arbitrium*, cui *Hyperaspistae* liber secundus accessit an. 1527.

Alteram *HIERONYMI Operum* editionem auctiorem & emendatiorem, curatore *Erasmo*, Frobenius absolvit anno 1526 Tomis IX, quorum tres priores prodierant an. 1524; reliqui, praeter ultimum, 1525. Secuta anno 1527 *NOVI TESTAMENTI quarta* editio, cuius paginae in *tres columnas* sunt divisae, quarum primam occupat textus *Graecus*, in omnibus fere consentiens cum *Complutensi* editione; secundam implet *Erasmiana* versio, tertiam *Vulgata*. Ad calcem monetur: „In Annotationibus, praeterquam „quod auctor exactiora reddidit omnia, magnam adiectionem „adiunxit ex *Graecorum voluminibus*, eque vetustissimis *exemplari„bus Latinis* quae nuper est nactus." Eodem anno emisit *AMBROSII Opera*, curante Erasmo, Tomis IV. Tandem in edendis *AUGUSTINI Operibus* versatus, cum duo prima volumina iam absoluta vidisset vir aetate quidem provectior, sed valetudine ita prospera, ut per omnem vitam nunquam morbo decubuerit, an. 1527 fato functus est.

f) Tom. III. Opp. col. 803.

Coeptum opus, patrisque officinam continuarunt filii *HIERONYMUS* & *Ioannes Erasmius*, cum sororio *Io. BISCHOFF* sive *EPISCOPIO*. & vitrico *Io. HERVAGIO*. De absolvendo *Augustino* sic scribit *Erasmus: g*) „Quum huius difficillimi negotii moles in filios illius „*Hieronymum* & *Ioannem Erasmium*, reliquosque liberos esset de„voluta, quibus hoc minus oportebat deesse, quod tali patre „essent orbati: *nam quicquid erat erga Frobenium affectus, in hos* „*transtuli:* itaque . . . operi tam sacro satius duxi animam im„pendere, quam semel susceptum non absolvere.“ Ante consummatum Augustinum, e *Frobeniana officina* an. 1528 prodiit *Erasmi Ciceronianus. sive de optimo genere dicendi.* cum Dial. *de recta Latini Graecique sermonis pronuntiatione*. repetitus 1530 per *Hieron. Frobenium. Hervagium* & *Episcopium.* Hunc *Ciceronianum* cur exaraverit *Erasmus*, his indicat verbis: „*Extitere pridem* qui „*Ciceronianos* sese vocant . . . & adolescentiam a caeterorum Scri„ptorum lectione deterritam ad unius *M. Tullii* superstitiosam „aemulationem adigunt . . . Subolet autem & aliud huius nomi„nis praetextu geri, nimirum ut pro *Christianis* reddamur *Paga*„*ni* . . . Et animadverto iuvenes aliquot, quos nobis remittit *Ita*„*lia*, praecipue *Roma*, nonnihil afflatos hoc affectu. Visus itaque „sum mihi rem facturus nec inutilem ad pietatem, & studiis ado„lescentiae conducibilem, si lucubratiunculam unam huic rei da„rem, non ut eloquentiae candidatos a *Ciceronis* imitatione de„terream, sed ut ostendam, quo pacto fieri posset, ut vere *Ci*„*ceronem* exprimamus, & *summam illius viri facundiam cum Chri*„*stiana pietate copulemus.*“ In hunc *Ciceronianum* eiusque auctorem praeter alios, canina eloquentia debacchatus est *Iul. Caes. Scaliger* in *Oratione pro Cicerone*. Lutetiae 1531, (conf. supra pag. 181.) quam cum ab eo haud compositam esse scripsisset *Erasmus* anno 1535, *h*) *Scaliger secundam Orationem* edidit, priori atrociorem, in qua illius se profitetur auctorem. *i*) Harum tamen in Erasmum iniuriarum postea poenituit Scaligerum. *k*) *Ciceroniani* sui fata ipse narrat *Erasmus: l*) „Quemadmodum avide distractus est, ita apud

g) Tom. III. Opp. col. 1251.
h) in Epist. ad Merbelium & Laurentium T. III. Opp. col. 1499.
i) Vid. Clerici notam ad Erasmi Epist. ad Goclenium T. III. Opp. col. 1421.
k) Scaligerana p. 140. ed. 1695. Conf. Scaligeri carmen in Erasmi obitum.
l) in Epist. ad Vlattenum. Tom. III. Opp. col. 1140.

„aliquos non mediocrem offensam incurrit: queruntur, alios si- „lentio praeteritos, quos non oportuit; alios secus attactos quam „par fuit; alios infra meritum, alios supra meritum praedicatos.“

Augustini Opera a Frobenio tandem absoluta sunt an. 1529 Tomis IX. Eodem anno in officina Frobeniana recusa sunt *Senecae Opera:* item *Erasmi Colloquia*, adiectis aliquot novis auctiora. De his ad Auctorem scripsit *Steuchus: m*) „Credo te non ipsam „*sanctitatem*, sed *superstitionem* tantum & *imperitiam* damnasse. „At modestius & meliori ratione, dicunt nonnulli, fuisse facien- „dum . . . In tuis *Colloquiis* dum unum aut alterum attingis, to- „tum *Ordinem* dehonestas, stupratorem virginum sacrarum illic „tacite introducis, sed non taces in *Exomologesi* tua . . . Certe „sunt provinciae, quae ad eversionem monasteriorum istiusmodi „documentis imbutae conspirarunt.“ *Erasmi Exomologesis*, sive *de modo confitendi*, recusa est in officina Frobeniana an. 1530. De hoc libello *Erasmus: n*) „Iam quum totus mundus plenus sit „fabularum de flagitiis ac sceleribus, quae sub umbra *Confessionis* „admittuntur, indignantur mihi quod moderatissime quaedam „attigerim . . . Monachi complures non amore pietatis urgent „hanc Confessionem, sed quod hinc auferant luculentam mes- „sem, dum regnant in aedibus divitum, quorum secreta norunt, „dum adsunt morientibus, dum arrodunt testamenta. Conside- „rent lernam malorum quae hactenus orta est ex confessionibus, „& mirari desinent, si quid admonui de *recte confitendo*. Consi- „derent item quanta fuerit superstitio in *cultu Divorum*, quanta „pestis ex ceremoniis humanis, & videbunt nostram admonitio- „nem maxime necessariam fuisse. Gratissimus Divis cultus est, si „quis illorum vitam imitetur, tametsi a nullo certius exemplum „vitae petitur, quam ab ipso Christo. Ad verum cultum provo- „co. Sed superstitiosius cultus istis erat utilior, & hinc vocifera- „tio. Ecclesiasticas ceremonias, nec ibi, nec unquam damno, sed „quomodo iis utendum sit indico, & ad meliora provoco.“

Ex officina Frobeniana porro prodierunt cum Erasmi Praefatio-

m) in Erasmi Opp. T. [illegible] col. [illegible]
n) Eadem in Epist. ad [illegible] Episcopum col. 1099 sq.

bus an. 1531 & 1532, *LIVIUS* cum nunquam antehac editis *Libris quinque* Decadis quintae e codice Lorfenfis monafterii, fol. mai. *o*) & *BASILII M. Opera.* Graece; porro *Erafmi Apophthegmata:* & a. 1536 Eiusdem *Ecclefiaftes. feu de ratione concionandi.* Cui editioni ut praeeffet *Erafmus.* an. 1535 Friburgo Bafileam ad *Hieronymum Frobenium* redierat, ubi anno 1536 feptuagenarius animam efflavit, fepultus in Cathedrali templo, cum hoc Epitaphio: *Defiderio Erafmo Roterodamo. Viro omnibus modis maximo. cuius incomparabilem in omni difciplinarum genere eruditionem pari coniunctam prudentia pofteri admirabuntur & praedicabunt: BONIFACIUS AMERBACHIUS Haeres.* *) *HIER. FROBENIUS & NIC. EPISCOPIUS nuncupati fupremae fuae voluntatis vindices. patrono optimo. non memoriae. quam immortalem fibi editis lucubrationibus paravit. iis tantisper dum orbis terrarum ftabit fuperfuturo. ac eruditis ubique gentium colloquuturo. fed corporis mortalis quo reconditum fit ergo. hoc faxum pofuere.* Univerfa *Erafmi Opera* Tomis IX. an. 1540 ediderunt *Hieron. Frobenius* & *Nic. Epifcopius.*

Io. HERVAGIUS an. 1529 excudit *Polybium* Graece & Latine; an. 1538, fociis *Io. ERASMIO FROBENIO. Io. BEBELIO.* Andr. *Cratandro.* & Mich. *Ifingrinio.* excudit *GALENI Opera.* Graece, Tomis V; alios vero libros cum folo *Erafmio Frobenio.* Ex *Bebeliana* officina prodierunt ann. 1531 *ARISTOTELIS Opera.* Graece.

MEDIOLANENSES OFFICINAE.

Primum Mediolani artis ftampandi fatorem & inventorem fefe profitetur *PHILIPPUS DE LAVAGNIA.* Mediolanenfis, in *Avicennae Canonibus Medicinae* an. 1473 excufis. Idem iam excuderat an. 1469 *Miracoli de la gloriofa V. Maria. p*) & an. 1472 *Ciceronis Epift. ad Famil.* volumina *trecenta.* Poft elegantibus eius typis prodierunt an. 1474 *Virgilius;* an. 1475 *Hiftoriae Auguftae Scriptorum* editio princeps; an. 1476 *Horatius. Salluftius. Iuvenalis* & *Perfius;* porro usque in annum 1487 quamplurimi auctores, Romani

o) Vid. Indicem Editionum T. Livii, praemiffum editioni Livii Bipontinae p. CXVIII fq.

p) Panzer T. II. p. 11.

*) Bafileenfis reipublicae Confiliarii munere functus.

veteres inprimis. Sine nota anni *Eusebii Chronicorum* ab *Hieronymo* latine versorum & continuatorum &c. primam editionem *tabulis* impressit *ahenis.* q) De eiusdem libri editione Veneta per *Ratdoltum*, Panzerus memorat, totum opus e tabulis (chronologicis) compositum esse. r) E verbis: *tabulis impressit ahenis* parum apte *Meermann* adstruere conatur, *Donatum* in Hollandia *ligneis tabulis incisum* mobilibus typis exaratum esse. s)

ANTONIUS ZAROTUS, Parmensis, inde ab anno 1471 usque in an. 1497 nitidissimo charactere romano insignem librorum numerum, classicos prae ceteris romanos auctores, e prelo suo emisit. *Terentium* an. 1470 d. 13. Martii ab eo excusum opera & impendio *Io. Legnani* refert quidem *Maittaire*: t) at *La Serna* u) observat: „C'est un exemplaire de l'édition de 1481 (d. 13. Mar„tii) dans le quel, selon toutes les apparences, un brocanteur „avoit gratté & falsifié les deux derniers chiffres (XI); car cet „exemplaire avait des *Signatures*, & Zarot n'en a pas fait usage „avant l'an 1476." Ante annum 1480 nullus repertus est liber *Io. Legnani* impendio per *Zarotum* excusus. Ex eius prelo prodierunt an. 1471 *Festi* & *Melae* editiones principes, x) eiusdemque typis, sine anno, loco & typographo, *Horatius*; & 1472 *Virgilius*. Cum sui nominis indicio emisit an. 1473 *Pii II. Epistolarum*, in Pontificatu editarum, primam editionem; an. 1474 *Horatium*, *Iustinum*, *Sallustium*, *Ciceronem de Officiis*, *Iuvenalem* & *Persium*; an. 1475 *Virgilium*, & *Valerium Max.*; an. 1476 *Quintiliani* Institut. Oratorias & *Ciceronem ad Famil.*; an. 1477 *I. Caesarem*, *Lucanum*, *Ovidii Fastos* & *Metamorphoses*. Secuti ex eiusdem officina inde ab an. 1480 multi libri *impensis Io. Legnani* excusi; in his *Livius* cum Praef. Andreae Aleriensis, & *Terentius* supra citatus, &c.

Primis his Mediolani typographis accesserunt praeter alios: *CHRISTOPH. WALDARFER*, qui, relictis *Venetiis*, an. 1474 excudit *Ambrosium* de *Officiis*; an. 1476 *Franc. Philelphi Satyrarum*

q & r) Panzer T. II. p. 94. T. III. p. 188.
s) Orig. Typ. P. I. p. 61. Cf. supra p. 25.
t) Tom. IV. p. 290.
u) Dictionn. bibliograph. T. I. p. 212.
x) Maittaire T. IV. p. 292. Panzer T. II. p. 12.

editionem originalem, plures *Baldi Lecturas*, &c.; & *DIONYSIUS PARAVISINUS*, qui an. 1476 *primum librum integrum graecis* typis edidit, scil. *Lascaris Grammaticam*, recognoscente *Demetrio Cretensi*, charactere venusto, media inter maiorem & minorem forma. *y*) His accesserunt *LEON. PACHEL*, Ingolstadiensis, & *Ulr. SCINZENZELER*, Bavari, *z*) socii, typographicorum operum copia clari; inter quae sunt *Institutiones* cum Glossa an. 1478. Post, dissoluta eorum societate, *Scinzenzeler* solus videtur excudisse principem *Isocratis* editionem, Graece, an. 1493, curante Demetrio Chalcondyla; *a*) certe ei soli debetur *Sidonii Apollinaris* prima editio an. 1498, ad exemplum editionis sine anno expressa. *b*) Ex *Alexandri MINUTIANI* prelo emissa est an. 1498 & 1499 princeps *Ciceronis Operum omnium* editio, charactere nitido IV. Voll. in fol. Mediolani etiam prodiit an. 1499 *Suidae Lexici*, Graece, princeps editio, *impensa & dexteritate Dem. Chalcondylae*, *Io. Bissoli*, & *Bened. Mangii*, *Carpensium*.

GOTHARDUS DE PONTE 1510 excudit primam editionem *LIBRI CONFORMITATUM*, in cuius fol. 1. legitur: „In nomine „domini nostri *Iesu Christi* ac beatissime *Marie*, matris sue, ac „beati patris nostri *Francisci*. Incipit opus quod intitulatur de „*conformitate vite beati Francisci ad vitam domini Iesu Christi* re„demptoris nostri, editum a fratre *Bartolomeo de Pisis*, ordinis „minorum sacre theologie magistro: ob reverentiam sui patris „precipui beati Francisci. Anno domini M. CCC. LXXXV." In fronte libri, cum titulo *Liber Conformitatum*, cernitur icon *Francisci* in genua provoluti, cui ex nubibus apparet *Christus* alatus, sua quinque vulnera, emissis radiis, illi imprimens. Additur inscriptio: *Francisce sequens dogmata superni creatoris, tibi impressa stigmata sunt Christi salvatoris.* Inferius positum est insigne typographi cum perigraphe: *Gotardus de Ponte.* In aversa folii pagina conspicitur *Arbor*, in qua superne pendet *Christus* crucifixus, cum repetita inscriptione: *Francisce sequens dogmata* &c. Arborem complectitur *Franciscus*, genibus procumbens, cum inscriptione:

y) Maittaire T. IV. p. 34. 362. & 105 sqq.
z) Panzer T. II. p. 33. num. 125.
a) Maittaire T. IV. p. 559. Panzer T. II. p. 73.
b) Panzer T. II. p. 86.

Francisce. Yhesu tipice. dux normaque minorum: per te Christi mirifice sunt gesta & donorum (sic): *mala. pater egregie. propelle animorum: sedes nobis perpetue* (sic) *da regni supernorum.* Ab utroque arboris latere in decem ramis pendent viginti tabulae, binae in singulis, cum totidem inscriptionibus, quadraginta exhibentibus *Conformitates.* quae faciunt titulos capitum operis, quorum tabula vel index sequitur folio 2. & 3. Inter hos titulos occurrunt: *Actus vite beati Francisci figuris vet. & novi testamenti sunt figurati: Christus a sibilla erithrea prophetatus est: Franciscus a sibilla phrigia prenuntiatur: Franc. more Christi precursorem habuit: Franc. transfiguratus est. Franc. mutavit aquam in vinum: Franc. ad instar Christi de paucis panibus multos pavit: Franciscus fuit scrutator cordium: FRANCISCUS FUIT DEUS. victor. &c. Franc. omnes actus passionis Christi in se sustinuit. Franciscus virtute stigmatum extrahit quotannis animas suorum e purgatorio. sicut Christus virtute sue passionis extraxit patres de limbo: Francisci anima corpus egrediens animas suorum a purgatorio liberans. secum duxit in celum: Francisci meritis mortui resurgunt. ceci vident. surdi audiunt. claudi ambulant. & ab omni alio languore curantur: Homines quomodo fiant Dii: stigmatizatio b. Francisci quibus miraculis sit approbata.* &c. Opus ipsum, 256. foliis constans, Libris III. absolvitur. Lib. I. fol. 108-114. occurrunt sermones a *Francisco.* nudo corpore pronunciati, directique etiam ad formicas, pisces, hirundines, lupos &c. Fol. 43 sqq. referuntur miracula a Minoritis, maiori longe numero quam a Christo & Apostolis patrata, inprimis ab *Antonio de Patavio.* cuius fol. 66. narratur sermo tantae virtutis, ut ex piscibus eum audientibus aliqui vocem emitterent, aliqui os aperirent & caput submitterent. Fol. 72. narratur, fratrem *Franciscum.* diversum a Sancto de Assisio, in calice S. Coenae deglutivisse arenam, quae ex eius pede viva prorepserit. L. II. fol. 145 sqq. legitur: *Christus 1. misit spiritus angelicos ipsi b. Francisco obsequendo; 2. malignos spiritus ipsi subiiciendo;* 3. *concessit Francisco mira agere in elementis. in brutis. in hominibus. eos a demonio liberando. orbatis lumine oculorum visus claritatem concedendo. a mortuis suscitando* &c. ex his tandem colligitur, *in Franciso completum esse: „Omnia subiecisti „sub pedibus eius & constituisti eum super omnia opera manuum tua„rum: omnia mihi tradita sunt a patre meo: — & quod maius est. „Deus Francisco parere & complacere complacuit.“* Lib. III. fol 225

ſqq. *Stigmatizatio* deſcribitur & probatur. Fol. 240. *diaboli* teſtimonio aſſeritur, *Franciſcum* poſt obitum ultra mille animas e purgatorio liberaſſe, ſecumque in coelum duxiſſe. Sub finem exponuntur 42 miracula a *Franciſco* poſt mortem patrata, quorum primum hoc eſt, quod triginta demortuos in vitam revocaverit. Ad calcem operis leguntur duae Epiſtolae, altera Auctoris: „*directa generali miniſtro & capitulo generali pro approbatione operis* „*precedentis*." in qua dicit: *Chriſtus Franciſcum ſibi per omnia ſimilem reddidit & conformem:* altera „reſponſiva *capituli generalis iſtud* „*opus approbantis anno 1399*. in qua haec: *Opus de conformitate* „*vite beati Franciſci ad vitam domini noſtri Ieſu Chriſti inſpici. diſ-* „*cuti & examinari fecimus diligenter cum arbore. quam nobis per-* „*ſonaliter preſentaſti. & nihil invenimus correctione dignum. ſed lau-* „*de* &c." In fine: *Impreſſum Mediolani per Gotardum Ponticum cuius officina libraria eſt apud templum Sancti Satiri. Anno Domini M. CCCCC. X. die XVIII. Menſis Septemb.*

Secunda huius libri *editio* prodiit Mediolani an. 1513 ſub titulo: *Opus aureae & inexplicabilis bonitatis & continentiae.* CONFORMITATUM *ſcilicet vite b. Franciſci ad vitam domini noſtri Ieſu Chriſti.* In fine: *Impreſſum Mediolani in edibus Zaroti Caſtilionei. huius artis non infimi. Anno a nativitate domini MDXIII.* &c. Primam editionem curate deſcripſit *Baumgarten: c*) utramque, in Dreſdenſi bibliotheca regia extantem, *Io. Chriſtian Goetz*, regius Sacellanus, in Merkwürdigk. der koenigl. Biblioth. 1744. I. Samml. pag. 171-176. Novam huius libri editionem, *reſectis iis. quae maxime offenderant. Bononiae* an. 1590 curavit *Buchius*. Franciſcanus, ſub titulo: *Liber aureus inſcriptus Liber Conformitatum* &c. Repetita eſt haec editio an. 1620. Pro *Libro Conformitatum* Apologeticum ſcripſit *Sedulius*. Franciſcanus, Antwerpiae an. 1607, adverſus *Alcoranum Franciſcanorum*. qui liber prodierat an. 1542 *Germanice Wittebergae*. auctore Eraſmo *Albero*. cum Praefat. *Lutheri;* item *Latine Francofurti* ex officina Petri Brubachii; tandem *Latine* & *Gallice Genevae* per Conr. *Badium* an. 1556 & 1560, item 1578 per Guill. de *Laimarie*.

c) in Nachr. von einer Halliſchen Biblioth. Halle 1748. B. I. p. 286 ſqq.

Huic Conformitatum Libro perquam affinia sunt ea quae de S. *Dominico* praedicat S. ANTONINUS. *Florentinus archiepiscopus.* in *Historiali Summa. Norimbergae* per *Anton. Koberger* an. 1484 & 1491 excusa, quem librum, licet sub *Norimberga* citandus fuisset, ad hunc locum reservavimus. Hic *Antoninus*. Dominicanorum ordini adscriptus, & in Divorum numerum relatus ab *Adriano VI* an. 1523, scripsit Parte III. tit. 23. cap. 1. §. 1. „*Christus* est *dominus* „*absolute* & *auctoritative*. *Dominicus* autem *participialiter* & *pos-* „*sessive*... Apparebit autem *magna similitudo eius ad Christum.* „ex discursu vitae & operum eius: itaque quia *Christo similis*, a „domino Christo aptissime denominatus est *Dominicus*. Ego sum „*lux mundi*. ait *Dominus*. & de *Dominico* canit ecclesia: *Vos estis* „*lux mundi*... Quia permaxime *Dominus* illuminare dignatus est „ecclesiam suam beati Dominici *meritis* & *doctrinis*. ideo *Domini-* „*cus lux mundi*. quasi sol refulgens, sic refulsit in templo Dei.“ — Et §. 3. „Resuscitavit *Dominus tres mortuos*... *Dominicus tres* „in urbe Romana... Satis credo & alios Dominum suscitasse... „Sic & beatus *Dominicus* & alios mortuos, etsi non ita notorie, „vivificasse invenimus... *Deus bis* famelicos pane multiplicato „satiavit, aquamque convertit in vinum: *Dominicus* bis panes di- „vinitus fratribus procuravit, Romae & Bononiae deferentibus „angelis a pastore coelesti, unde & suavissimos, & vice altera lym- „pham in vinum suave convertit. Febricitantem Simonis socrum „Deus febri perfecte sanavit & languidos multos. *Dominicus* mu- „lierem quartanariam ex toto liberam reddidit. Exibant daemo- „nia a multis, clamantia & dicentia: *Quia tu es filius Dei.* — „*Dominicus a daemonibus vexatos* in anima vel corpore *plurimos* „*liberatos* effecit. *Christus immortalis* effectus *bis ianuis clausis* ad „discipulos intravit. *Dominicus* vero adhuc *mortalis* (quod *mira-* „*bilius* est) in Ecclesiam clausam noctu ingressus est, ne fratres „excitaret..... *Dominus* ait: Data est mihi *potestas in coelo & in* „*terra*. Haec potestas *non parum est communicata Dominico. coele-* „*stium. terrestrium & infernorum*. Nam *angelos sanctos in sui mini-* „*sterium habebat*. sed & ipsi angeli accedentes in humana specie „ad fratres, panes ad esum ministrabant eis, &c.“

FLORENTINAE OFFICINAE.

Primus liber *Florentiae* cum nota anni excusus, est *Servius* in *Virgilium*, sine textu Poëtae. *d*) Post Praefat. legitur: „MCCCC-„LXXI. *BERN. CENNINUS* aurifex omnium iudicio praestantis-„simus & *DOMINICUS* eius F. egregiae indolis adolescens *ex-„pressis ante calibe* caracteribus & *deinde fusis* literis volumen „hoc primum impresserunt. *Petrus Cenninus* Bernardi eiusdem fi-„lius, quanta potuit cura & diligentia emendavit, ut cernis. „Florentinis ingeniis nil ardui est.“ In fine: *Absolutum est opus MCCCCLXXII.* Praeter hunc Servium nullus inventus est liber a Cenninis excusus. Iisdem *Cenninis Meermann e*) quidem adscribit *Alexandri Doctrinale* sine anno, loco & typographo; sed hoc *Albae* potius vel *Aquis*, Montisferratensis ditionis, excusum esse ostendit Cl. *Vernazza. f*) Florentiae enim & Florentinis ingeniis parum convenit, fabros artisque instrumenta *promptori* advenisse e vicina *Genua*, quod monet finale: „Impressum est sat incom-„mode; cum aliquarum rerum, quae ad hanc artem pertinent, „impressori copia fieri non potuerit in huius artis initio, peste „*Genuae*, *Ast*. alibique militante.... Imprimentur autem post-„hac libri *alterius generis litteris*, & eleganter arbitror: nam & „*fabri* & aliarum rerum, quarum hactenus promptor indigus fuit, „illi nunc Dei munere copia est, &c.“

IO. PETRI, de Moguntia, plures libros, italico potissimum sermone e prelo suo emisit, inde ab anno 1490; quamvis *Boccacii Philocolo*, ab eo impressus, annum gerat M. CCCC. LXXII. forsan pro LXXXXII. *g*) In *Monasterio S. IACOBI DE RIPOLI* a. 1478 excusa est prima editio libri inscripti *Le Vite de Pontefici & Imperadori Romani da Messere Franciesco Petrarca:* in quibus Vitis fabula de Iohanna Papissa narratur. *h*) Ex eiusdem monasterii prelo eodem anno exierunt *Sallustius*, *Suetonius* de Grammaticis, &c.

d) Panzer Tom. IV. p. 298.
e) Orig. typ. P. I. p. 95.
f) Panzer T. I. p. 430.
g) Panzer ibidem p. 464.
h) Denis Merkw. der Garellischen Biblioth. p. 74.

ſine anno vero *Valerii Flacci Argonautica*, cum *Signaturis*, non infra, ſed ad exteriorem ultimae lineae marginem appoſitis.

NICOLAUS LAURENTII, Alemannus e Wratislavienſi dioceſi, excudit an. 1477 *Monte Santo di Dio*, qui primus liber eſt cum iconibus aeri inciſis, *iisque tribus*, quas, uti videtur, delineavit *Baccio Baldini*, aeri incidit *Aleſſandro Boticello*; *i*) an. 1478 *Celſi de Medicina* editionem principem; an. 1481 *Dantis Comedia cioe Inferno*, *Purgatorio e Paradiſo*, col commento di Chriſtoph. *Landino*: in cuius libri quibusdam exemplis occurrunt icones duae a Boticello aeri inciſae, quas exhibet *Heinecken*, *k*) ad cantum de Inferno pertinentes; ſine nota anni *Geographia di Franceſco Berlinghieri*, ſecundum *Ptolemaeum*, cum XXXI. mappis geographicis aeri inciſis, ſed rudiori caelo quam in editione Romana anni 1478.

Ant. Barthol. MISCOMINUS excudit an. 1481 *Hieron. Savonarolae Triumphum crucis*, ſive de veritate fidei chriſtianae; & an. 1482 *Marſilii Ficini Platonicae theologiae de immortalitate animorum* editionem originalem; tum an. 1492 *Plotinum*, per eundem Ficinum latine verſum & illuſtratum.

BERNARDINUS NERLIUS an. 1488 in lucem emiſit *HOMERI Operum*, Graece, editionem primariam principem, cum Praefat. *Demetrii Chalcondylae*. *Laurentius Franciſci* de *ALOPA*, Venetus, ex officina ſua dedit editiones principes: 1. an. 1494 *Planudis Anthologiae* Epigrammatum, Graece; 2. 1496 *Apollonii Rhodii Argonauticorum*; 3. *Euripidis*, ſine anno; 4. *Gnomarum* monoſtichارum ex diverſis Poëtis, cum *Muſaeo*, ſine anno; & 5. *Callimachi* cum ſcholiis graecis, ſine anno, loco & typographo. Quinque hi libri literis *Graecis capitalibus* ſunt exarati, quarum uſum *Io. Laſcaris* induxit, impreſſore *De Alopa*. *l*) qui etiam an. 1496 excudit *Marſilii Ficini* Commentaria in *Platonem*. Eodem anno Florentiae lucem vidit *LUCIANI Operum*, Graece, editio princeps, ſed ſine nota typographi.

i) Panzer T. I. p. 405.
k) Idée ad pag. 141.
l) Maittaire T. IV. p. 101.

E prelo *Laur. de* MORGIANIS plures prodierunt *Hieron. Savonarolae* libelli; inter quos an. 1495 *Compendio delle Revelationi di Fr. Hieronimo*. & an. 1497 *Lamentatio Sponſae Chriſti adverſus Pſeudapoſtolos. & Exhortatio ad Fideles Chriſti. ut precentur pro renovatione Eccleſiae.* Eodem anno excudit *Io. Franc. Pici. Mirandulani. Defenſionem Hieron. Savonarolae.* De Savonarola ſic iudicat *Bayle:* „C'eſt un fait conſtant, 1. qu'il ſe diſtingua d'une façon extra- „ordinaire par l'auſtérité de ſa vie, & par la ferveur éloquente „avec la quelle il prêchoit contre les mauvaiſes moeurs, ſans „épargner les deſordres du Clergé, ni même de la Cour de Rome; „2. qu'il prétendit avoir part aux Révélations céleſtes; 3. que par „tous ces moyens-là il s'acquit une grande autorité dans Flo- „rence avec la vénération de toute la ville... *Philippe de Comines m)* „qui avoit vû ce Dominicain, le loue beaucoup, & lui attribue „la gloire d'avoir bien prophétiſé certaines choſes: c'eſt auſſi ſur „ſon témoignage que l'on appuie fortement lorsqu'on veut légi- „timer les *Révélations* de *Savonarola;* mais comme il a fait men- „tion d'une Prophétie qui ſe trouva fauſſe, c'eſt celle qui aſſu- „roit que *Charles VIII.* reviendroit en Italie, il ſert de témoin aux „Cenſeurs de ce Prophète... On ne peut nier qu'il ne ſe ſoit „trop mêlé des affaires politiques. Il y avoit des factions dans la „république de Florence: les uns vouloient maintenir la maiſon „de *Medicis* ou tout au plus l'Ariſtocratie, les autres vouloient „extirper cette maiſon, & établir le gouvernement *populaire.* Il „ſe rendit chef de parti dans ces diviſions, & l'ame ou le pre- „mier mobile de la faction démocratique... La faction de Sa- „vonarola ſe rendit odieuſe par une exécution ſur pluſieurs per- „ſonnes conſidérables, & il jetta par-là les ſemences de ſa ruine. „Il n'en jetta pas de moins funeſtes par ſon mépris pour les fou- „dres du Vatican, & par ſes déclamations contre le Pape; mais „ce qui acheva de le perdre fut qu'étant demeuré d'accord que „ſes doctrines ſeroient vérifiées à l'épreuve du feu, il biaiſa viſi- „blement, quand il fut queſtion d'exécuter ſon engagement... „L'une des choſes qui le rendirent odieux fut *ſon affection pour* „*le Roi de France.* On a lieu de croire qu'il s'attacha a ce Prince, „parceque s'étant mêlé de prophétiſer qu'il arriveroit de grandes

m) Mémoires L. VIII. chap. 2.

„Révolutions, il tourna ses yeux de tous côtés pour chercher „le Cyrus que Dieu destinoit à ce grand ouvrage, & qu'il n'en „trouva aucun qui y fut si propre que *Charles VIII.*"

Savonarolae Opera sic laudat *Du Pin*: *n*) „Il a composé un „nombre prodigieux d'Ouvrages Moraux, spirituels & ascétiques.. „la plûpart écrits en Italien, imprimés à *Florence* & en d'autres „endroits.. Ils sont pleins d'onction & de Maximes de piété; „il y parle librement contre les Vices, & y enseigne la Morale „la plus pure, & la plus relevée." In Catalogo horum operum *Du Pin* citat: „Quelques *Lettres Apologètiques* & une en particu„lier pour faire voir la nullité & l'injustice de l'Excommunica„tion portée contre lui par *Alexandre VI.* dont il avoit parlé avec „liberté; de même qu'un *Discours* qu'il fit en recevant le Saint „Sacrement, après sa condamnation." Tristem egregii viri exitum his verbis memorat *Iovius*: *o*) „Tanta rerum atque animo„rum commutatio... Florentiae consecuta est, ut *Savonarola*, „qui modo singulari sanctimonia, virtutisque nomine animis ci„vium imperitarat, & in numerum Divorum ut vivus referretur, „publico consensu meruerat, concursu populi, Senatusque decre„to damnatus sit, & in area curiae foedissimo supplicio *concre„matus*, anno 1498."

PHILIPPUS IUNTA, Florentinus, ab anno 1497 quamplurimis libris excusis, Graecis praecipùe ac Romanis auctoribus, erudito orbi nomen suum commendavit. Excudit *Graece* an. 1497 *Zenobii Epitomen Paroemiarum*; an. 1500 *Orphei Argonauticorum* editionem principem; an. 1514 *Enchiridion Grammaticalis introductionis ex diversis scriptoribus*; an. 1515 *Theocritum, Hesiodum, Aristophanem*, & *Oppiani de Piscibus* editionem principem, de qua supra pag. 185; an. 1516 *XENOPHONTIS Operum* editionem principem, & *Dionysium Areopagitam*; an. 1517 *Aristidis Orationum* editionem principem, *PLUTARCHI Vitas Parallelas*, & *Philostrati* Sen. & Iun. *Icones*. Eius haeredes excuderunt an. 1518 *Erasmi Moriam*; Graece, an. 1519. *Homerum*, 1520 *Hesychium*,

n) Biblioth. des Auteurs Ecclesiast. T. XII. p. 115 sq. Cf. Warton in Append. ad Cavei Hist. Liter. Script. Eccles. p. 129 sqq. edit. Genev. 1720.
o) in Elogiis, Cap. XIV.

1521 *Stephanum de Urbibus*. 1522 *Sophoclem*. 1525 *Aristophanem*. 1527 *Xenophontis Opera*. & *Aristotelis Hist. Animal.* &c.

E *BERNARDI IUNTAE* officina prodierunt an. 1506 *Thucydides* Graece, cum scholiis graecis; 1520 *Pollucis Onomasticon*; 1531 *Machiavelli*, Secretarii Florentini, *Discorsi sopra la prima deca di Tito Livio*. & 1532 Eiusdem *Historie Fiorentine*.

BONONIENSES ET NEAPOLITANAE OFFICINAE.

Primis Italiae officinis accensendae sunt *Bononienses* & *Neapolitanae*. *BONONIAE* an. 1471 primam *Ovidii Operum omnium* editionem excudit *Balth. AZOGUIDI*, in qua ipse se appellat *primum in sua civitate artis impressoriae inventorem*. De *Ptolemaei Cosmographia*, latine; quae laborat vitio Dati M. CCCC. LXII. pro LXXXII. supra pag. 159. egimus. Ibidem *UGO RUGERIUS* anno 1474 in lucem emisit *Manilii* editionem secundam post Norimbergensem Regiomontani, cum prima *Arati*; & *Valerium Flaccum*, quae editio de principatu certat cum Florentina apud S. Iac. de Ripoli. Sine nota typographi *Bononiae* excusum *Petri Brixiensis Repertorium Iuris*, in cuius exemplo, in bibliotheca Bergomensi servato, per fraudulentam rasuram legitur annus M. CCCC. LXV. pro LXXV. quod monet *Panzer*. p)

NEAPOLI „anno 1471 libri quomodo imprimi possint, primum monstrasse *SIXTUM RIESSINGER*, Argentinensem Presbyterum, docet *Wimpheling*. q)" Hic ibi excudit an. 1471 *Bartolum super* Codice, & 1478 *Boccacii Philocolo*, in quo nomini eius subiiciuntur *insignia* typographica, quae eadem sunt cum sigillo typographorum *Sixti* & *Georgii Alemannorum*, qui *Romae* an. 1481 emiserunt librum *Chiromanticum ex divina Philosophorum academia*, cum figuris 21. manus humanae lineamenta repraesentantibus, adiectis sigillo literis: *S. R. D. A.*; item cum eodem sigillo an. 1483 *Decisiones Rotae Romanae*. Unde cum *Panzero* r)

p) Annal. typogr. T. IV. p. 242.
q) in Epitome Rer. German. cap. 65.
r) Panzer T. II. p. 159. 477. & 482.

suspicari possis, *Riessingerum*, ante reditum in patriam, Romae quoque typographiam exercuisse. Huic tamen opinioni haud favere videntur ea, quae porro scribit Wimpheling: „*Riessingerus*, Ferdinando regi & Neapolitanae nobilitati charissimus extitit: huic saepe ab ipso Rege episcopatus & amplissimae dignitates oblatae sunt: his omnibus patriam *Argentinam* praeferens, ad nos concessit, estque hodie vita superstes, vir ob dignitatem sacerdotalem & senium reverendus." *Bertholdus* RYING *de Argentina* an. 1475 e prelo suo emisit *Maesuam* de medicinis.

MATTHIAS MORAVUS de Olomunz. (*Olmütz*.) qui primum *Genuae* an. 1474 *Pisanellam* excuderat, *Neapoli* an. 1475 exaravit *SENECAE Operum* editionem principem, in cuius fine: *Sub domino Blasio Romero monacho Populeti. philosopho ac theologo celebri est impressum hoc opus*. &c. an. 1476 *BIBLIA LATINA*. cum Epist. Blasii Romeri, char. goth. minori eleganti, & *Plinii Epistolas*; 1480 *Ciceronis Orationes*; 1488 *Catonis* Moralia. *Neapoli* porro prodierunt an. 1487 *Psalterium* cum Comment. *Kimchi*. & reliqua *Hagiographa* cum Commentariis; an. 1491 *Pentateuchus* cum Comment. *Iarchi*. per impressores *Soncinates*; an. 1492 *Mischna*. pluraque alia Rabbinorum Scripta. *s*)

LIPSIENSES OFFICINAE.

Germaniae typographeis addimus *LIPSIENSES*. Ibi an. 1481. sine nota typographi excusa est *Glosa super Apocalipsim* (Ioannis Viterbiensis,) charactere, ut putatur, *MARCI BRAND* vel *BRANDISS*. qui ibidem an. 1484 emisit *Albici Regimen sanitatis*. & an. 1485 *Psalterium Davidis* &c. Ab hoc diversus putatur *t*) *MAURITIUS BRANDISS*. qui an. 1488 exaravit *Priami Capocii Fridericeiden*. & *Martialem*. *Conr. KACHELOFEN* an. 1475 excudit *Psalterium*. de quo supra pag. 52; an. 1487 *Florum* sub nomine *Conr. Gallici*; *u*) 1492 *Theoduli Eclogam*; 1494 *Expositionem mysteriorum Missae*. item *Albertum M. de Secretis mulierum & virorum*; 1498

s) Panzer T. IV. p. 374 sqq.
t) Panzer T. I. p. 474. num. 11.
u) Ibidem p. 473. & T. IV. p. 342.

Senecam de Providentia. Primis his Lipsiae typographis accesserunt *Melchior* LOTTER. ARNOLDUS *de Colonia. Martinus* LANDSPERG *de Herbipoli. Gregorius* BOETTICHER. *Iac.* THANNER lat. *Abiegnus.* Herbipol. & *Wolfg.* STOECKEL *de Monaco.* qui an. 1496 excudit *Aeneae Sylvii de Ritu. Situ. Moribus & conditione Teutoniae descriptionem.* Conf. supra pag. 83.

FRANCOFURTANAE OFFICINAE.

Francofurti. post privatum officina Gutenbergium, x) anno 1459 consedisse *Ioannem a Petersheim* (*Pfedersheim* vico vicino) Fausti & Schoefferi ministrum, narrat *Anonymus Auctor Relationis de Origine Typographiae.* y) De hoc Ioanne in Francofurtana civium matricula ad an. 1459 legitur: *Hans von Pedersheim Brieffdrucker hat den Burger Eid getan.* Observat quidem *Münden.* z) hos *Briefdrucker* a) diversos fuisse a Typographis, eosque decretum Senatus an. 1628 distinguere a *Briefmaleris;* in libellis tamen *Bambergae* an. 1493 excusis legitur: *Diese liebliche Hystori der miracke1 — hat getruckt meister Hanns Briefmaler* ... Et in *Keiser karls Recht* ... *Von meister Hannsen Puchdrucker.* b) Nullus extat hodie liber ab hoc Petersheimio excusus. *Francofurti* vero *Nic.* LAMPARTER & *Balth.* MURNER. Argentinensis, socii, impresserunt an. 1507 *Cebetis Tabulam* cum figura huius tabulae ligno incisa. c) Alius *Murner.* praenomine *Beatus.* Argentinensis, emisit an 1512 *Schiffart von dissem ellenden jamerthal.* & *Der Schelmen Zunfft.* d) in quo libro in omnium ordinum, inprimis Cleri, vitia invehitur.

E *Christiani* EGENOLF. Hadamarii, prelo prodierunt an. 1532 *Bilib. Pirkheimeri* Germaniae descriptio; 1533 *Ger. Noviomagi Hist. Germaniae infer.* & *Hist. Batavica;* 1534 *Velii Chronica* mundi;

x) Cf. supra pag. 103.
y) ap. Wolf monum. Typogr. T. I. p. 471. Koehler p. 91 sq.
z) Drittes Iubelfest der Buchdruckerk. p. 173.
a) Cf. supra pag. 3.
b) De Murr aelteste Buchdr. Geschichte Bambergs p. 283 sq.
c) Panzer T. IX. p. 462.
d) Idem in Annalen der deutschen Litter. p. 339. & 349.

1536 Io. Fichardi Vitae virorum illustrium; plurimique alii libri usque ad eius obitum an. 1555. Defunctum sic celebravit *Iac. Micyllus:*

Chalcographum noras Egenolphum nomine lector?
Condidit hoc illum Parca severa solo.
Ast operum & magni series immensa laboris
Vivit, & hinc geminos fertur ad usque polos.

Egregios eiusdem mores pinxit *Cordus:*

Ut mores, Egenolphe, tuos & candida corda
Et iunctam taceam cum pietate fidem.
O dulcis lepor! o dignissimae Apolline nugae!
O sine dente sales, o sine felle ioci!

Epitaphium eius ap. Lersnerum in Chronico Francof. hoc est:

Hic iaceo Egenolphus Chr. de nomine dictus
Hacque Chalcographus primus in urbe fui.

Obiit A. D. 1555 Aetatis suae 53 ab invecta vero a se primo in hanc urbem Typographice Anno 25. &c.

Petrus BRUBACH, qui *Hagenoae* successerat *Secerio*, cf. supra pag. 92, *Francofurti* excudit *Graece* cum scholiis Graecis, an. 1542 *Pindarum;* 1544 *Sophoclem;* 1546 *Apollonii Argonautica;* 1553 *Theocritum;* 1555 *Sophoclem* iterum. *Andreae Wecheli*, qui anno circiter 1572 Lutetia Francofurtum concessit, ibique de bonis literis optime mereri non cessavit, supra iam mentionem fecimus pag. 217. *Wechelianam* officinam continuarunt eius haeredes, *Marnius* & *Aubrius*, qui inter alia an. 1597 excuderunt *Biblia Graeca*.

ANGLICAE OFFICINAE.

ANGLOS typographiam docuisse *Guil.* CAXTONUM, Anglum, qui primum *Coloniae* sine nota anni libros impresserat, supra pag. 190. monuimus. Ab hoc *Caxtono* primus in Anglia liber excusus est an. 1474 *Westmonasterii* prope *Londinum*. Extat quidem *S. Ieronimi* (*Rufini* potius) *exposicio in simbol. apostolorum; impressa Oxonie & finita A. D. M. CCCC. LXVIII. die 18. Dec.* sed omisso secundo *X*, (cuius omissionis exempla plura iam indicavimus) anno de-

mum 1478 excusum esse hoc opusculum inde patet, quoniam nullus alius *Oxonii* liber prodiit ante annum 1479, quo ibi eodem charactere excusus est *Egidius de peccato originali impressus & finitus Oxonie a. nativ. dni M. CCCC. LXXIX. die 14. Marcii:* idem ostendunt adhibitae in hoc libro Signaturae, quae ante annum 1470 nusquam occurrunt. Hunc tamen librum a *Frid. Corsellio* an. 1468 excusum esse contendit *Meermann*, quamvis illius nomine signatus liber nullus prorsus exstet; arridet vero Meermanno commentum *Atkynsii*, quod favet quidem causae *Harlemi*, sed non *Laurentii Kosteri*. Nempe *Atkyns* in libro de Origine Typographiae Londini anno 1664 edito narrat: „Idem vir dignissimus „qui librum *Oxoniae* an. 1468 excusum mihi concredidit, dono „etiam mihi dedit *apographum documenti & manuscripti* in aedibus „*Lambethanis* repositi, quondam in eius custodia, quod ad ipsam „sedem archiepiscopalem Cantuariensem pertinet, cuius summam „adscribam, tametsi sperem, ipsum monumentum opportuno „tempore publicatum iri: *Thomas Bourchier*, archiep. Cantua„riensis, suaserat regi *Henrico VI.* ut omnem operam navaret ad „introducendam *formam impressoriam* in eius regnum. Rex ipse... „id fieri non posse sensit sine magna pecuniae summa illi porri„genda, qui operarium quendam seduceret *Harlemo* apud Hol„landos, ubi *Ioannes Cuthenberg* nuper artem invenerat, iamque „ipse exercebat... Totius rei exsecutio demandata fuit *Roberto* „*Tournour*, qui socium sibi adscivit *Caxtonum*.... Tandem nacti „sunt unum ex officinae ministris cui nomen erat *Friderici Cor*„*sellis*, qui... navi Londinum transvectus, deinde *Oxoniam* con„ductus fuit.. Sic igitur *Oxoniae* primum incoepit typographia „in Anglia, & quidem antequam ulla impressio, prelum vel ty„pographus in *Gallia*, *Hispania*, *Italia* vel *Germania* extitisset, „sola excepta urbe *Moguntia*, quae suam impressionem *primige*„*niam* iactat, etiam ante *Harlemum*, dum clamat urbem Mogun„tinam artis typographicae *inventricem primam:* tametsi constet, „aliter sese hanc rem habere, eamque civitatem artem accepisse „per *fratrem unius ex Harlemensibus operariis*, qui domi a fratre „eam didicerat, posteaque ipse Moguntiae officinam erexit. *Oxo*„*niense* hoc prelum minimum decennio coepit ante ullum aliud „in Europa, si excipias *Harlemum* ac *Moguntiam*, ubi ars tum „temporis fere nata erat.“ Sed fictitia sunt haec.

Contra Documentum ab *Atkynſio* venditatum monet *Ducarel*, Lambethanae bibliothecae cuſtos, in Epiſtola ad Meermannum an. 1760: *e*) „*Middletonus* eleganti Diatriba de initiis typographiae „Anglicanae luculenter oſtendit, a *Gulielmo Caxtono* in Angliam „translatam fuiſſe, & *Weſtmonaſterii* primum exercitam, non, ut „vulgo creditum eſt, uno *Atkynſio* auctore, Oxoniae ab homi- „ne peregrino. *Atkyns* non ſolum illius viri digniſſimi nomen „officiumque reticet, ſed & tempus etiam quo apographum huius „Documenti, quod vocat, adeptus eſt. Eſtque porro mirandum, „virum hunc digniſſimum amico ſuo Atkynſio apographum tan- „tum dediſſe, non *exemplar legitime deſcriptum*, in quo debebat „eſſe & aetas Inſtrumenti & nomen Codicis, unde miram hanc „hiſtoriam depromſerat.... *Atkyns* ſi indicare voluit, venuſtam „hanc, qua lectores eluſit, hiſtoriam exſtare in MS. in biblio- „theca *Lambethana* ſervato, reſpondeo, compertiſſimum mihi eſſe, „re diligenter explorata, nullum eiusmodi Documentum MS. „hodie ibi adſervari. Sin *Librum memorialem* Archiepiſcopi *Bourg-* „*chierii* intellexit;.... hic ſervatur, una cum Libris memoria- „libus reliquorum Cantuariae Archiep. in biblioth. Codd. mss. „*Lambethana*, cuius cuſtodia nunc *penes me* eſt... Iam non du- „bito praeciſe negare, ullam in his libris mentionem factam eſſe, „vel *artis typographicae* vel *Frederici Corſellis*. Idque eo fidentius „facio, quia & Epitomen uniuscuiusque Documenti... & Indi- „cem omnium alphabeticum ipſe confeci; ſimul quia, literis tuis „acceptis, Epitomen hanc & Indicem cum libris Memorialibus „*Bourgchierii* diligenter contuli: quo facto, liquido tibi poſſum „affirmare, nihil in utrolibet horum contineri, quod ad artem ty- „pographicam pertineat. *Matthaeus Parker*, *Cantuar. Archiep.*, *de* „*antiquitate Britannicae Eccleſiae &c.* Londini ap. Io. *Day* 1572, „ad vitam Archiepiſcopi *Bourgchier*, inventionem artis typogra- „phicae ſic commemorat: *His temporibus illa utiliſſima cudendi* „*atque imprimendi ſcientia*, ARGENTORATI, *Germaniae civitate*, „*inventa eſt*, *etſi de authoris*, *loci annique certa veritate*, *inter ſcri-* „*ptores magna diſſenſio eſt*, *quam perpendant lectores*.... Atque „hinc efficitur, quod de *Corſellio* narratur, eo tempore inco- „gnitum fuiſſe... *Ioan. Bagfordus* in Codice msto translationem

e) inserta Meermanni Orig. Typ. P. II. p. 3-18.

„typographiae in Angliam per Archiep. *Bourgchierum* ex *Atkynsii* „libello enarrat, *Fredericum Corsellium* nominat, dein haec sub-„iicit: *Quanquam nonnullis valde suspecta est fides huius Manuscripti;* „*mihi tamen satis certo confirmatum est. authenticum eius exemplar* „*penes Io. Birkenheadium aliquandiu fuisse anno 1664. cum inter le-* „*gatos Domus Communium. quibus mandatum erat de typographia* „*deliberare. praesidis officio fungeretur. valdeque mihi credibile est* „*extare etiamnum in libris Memorialibus Archiep. Bourgchieri.* Re-„spondeo: *Acta Domus Communium.* nuper edita 21. Voll., quo-„rum quae ad an. 1664. & circa pertinent, diligenter perlustrata „sunt, ea de Documento hoc silent... Anno 1642 typographi „Londinenses Domum Communium libello supplici orabant, ut „privilegia de typographia exercenda, a Rege concessa, tolleren-„tur. Typographorum advocatus *Guil. Prynne.* citatis compluri-„bus qui de inventione typographiae scripserant, *ex hisce.* in-„quit, *testimoniis colligo. artem impressoriam inventam fuisse in Ger-* „*mania. circa an. 1440. publicatam vero & vulgo exercitam a. 1450...* „*Primum intra hoc regnum typographum Gulielmum Caxtonum fuisse* „*comperio...* Idem *Prynne* pronuntiat, artem impressoriam, ne „tum quidem cum recens nata esset, a *Regibus* Angliae vindicatam „fuisse, tanquam regio tantum permissu exercendam. Unde constat, „quae postea de *Fred. Corsellio* venditavit *Atkynsius.* eo tempore „incognita fuisse. — Porro alia causa, ante triennium, in Curia „Banci regii agebatur inter Acad. Cantabrigiensem & typogra-„phum regium, qui librorum iuris Anglicani impressionem sibi „uni vindicabat; a cuius advocatis cum historia de *Corsellio* af-„ferretur, damnatum a praesidibus Curiae id argumentum, ut-„pote unius *Atkynsii* auctoritate innixum: confirmatum vero Aca-„demiae ius libros iuridicos imprimendi. Minime igitur audienda „sunt quae *Antonius a Wood. Palmerius. Bagfordus.* aliique *At-* „*kynsio* posteriores, de *Corsellio* in libros retulerunt. Ex *Atkynsii* „quippe fide tota narratio pendet. Atkynsius vero idoneam fin-„gendi causam habuit, lucri nimirum spem, siquidem privile-„gium typographiae exercendae quoquo modo adipisci posset.“

Quae de adducto in Angliam per *Caxtonum Corsellio* regnante *Henrico VI.* fabulatur *Atkyns.* commentitia esse satis quoque patet ex eo, quod hanc Harlemum expeditionem prorsus silet ipse

Caxton in Chronico *Higdeni*. quod continuavit usque ad obitum *Henrici VI.* anno 1460; qui rex, civilibus bellis involutus, de invehenda in Angliam typographia vix cogitare potuit. Immo cum constet, *Caxtonum* hanc artem didicisse *Coloniae*. eo proficisci ipsi haud opus fuisset, si illa *Oxonii* iam fuisset exercita. Accedit gravis testis *Io. Lelandus*. an. 1552 defunctus, qui *Guil. Caxtonum* Angliae *prototypographum* appellat. *f*)

Quae in Relatione ab Atkynsio prolata de inventione typographiae Harlemi per Gutenbergium dicuntur, adeo sunt absurda, ut nullam mereantur fidem. Ea ipsa tamen nec ab *Atkynsio*. nec quovis alio recentiori scriptore Anglo proficisci potuisse, contendit Meermannus. „Rem conficit, inquit, inserta huic historiae „memorabilis ista circumstantia, Moguntiam artem primum re„cepisse *per fratrem operarii alicuius Harlemi*. postquam per hunc „artis principiis imbutus esset. Ea vero narratio quum utrique „conveniat *Ioanni Gaensfleischio* typographo, *seniori iuniorique*. „atque haec circumstantia, superiore seculo incognita, *a me* de„mum ex collatione veterum chartarum & testimoniorum, no„stra aetate productorum, *detecta sit;* fieri haud potest, ut vel „*Atkynsio* vel alii cuivis apud Britannos in mentem venire po„tuerit; sed proficisci ea necessario debuit a Scriptore non adeo „multum a tempore inventionis remoto, cui saltem haec histo„ria ex optimis monumentis probe erat perspecta.“ Duos vero fratres *Ioannes Gaensfleischios* typographos, derivatumque ab Harlemensi invento Moguntinum, merum esse Meermanniani cerebri figmentum, supra pag. 129 sqq. satis ostendimus. Exigui ponderis esse omnia, quae contra *Ducarellum* & *Middletonum* disputat *Meermann*. observat *Mercier*. *g*) Perperam igitur prototypographi elogio ornatur *Corsellius*. eique falso attribuitur supra citata *Expositio in Symbolum Apost.* cuius Datum 1468 numeri vitio laborat, de quo idem *Mercier* pag. 36: „L'opinion de *Marchand* qui, vû „la conformité de cette Édition avec une autre de 1479, la „croit de 1478, en supposant seulement que dans l'énoncé de la

f) Vid. *Middleton* Orig. of Printing in England. Cambridge 1735. Io. Lewis Vita Guil. Caxtoni. Londini. 1737.

g) Supplem. à Marchand p. 183. & 62.

„date on a oublié un X, cette opinion, dis-je, eſt la plus ſen-
„ſée, la mieux appuyée ſur les monumens du tems."

Primus igitur liber in Anglia a Caxtono excuſus prodiit *Weſtmonaſterii* a. 1474, & quidem *Iac. de Ceſſolis de moribus hominum officiisque Principum*, ex Gallico *anglice* converſus. Hic *Caxton*, in *Cantii* comitatu natus, mercaturam Londini didicit; deinde in Belgio & Germania triginta fere annos verſatus, typographiae operam dedit, & Gallica lingua libros excudit; tandem, aetate iam in ſenium vergente, *Weſtmonaſterii* conſedit, ibique artem exercuit usque in annum 1490, editis multis libris e gallico in anglicum ſermonem translatis, inter quos 1477 *The Dictes and Sayenges of the Philoſophers and of Socrates;* 1478 *The Morale Proverbes of Criſtyne*, item *Memorare noviſſima;* 1482 *Higdeni Polycronicon* ſupra citatum.

OXONII an. 1478 & 1479 excuſos ſine nota typographi libros ſupra memoravimus. Ibidem an. 1481 *Theodoricus ROOD de Colonia* e prelo ſuo emiſit *Alexandrum in Ariſtotelem de anima;* & ſine nota anni *Phalaridis* Epiſtolas, latine, cum verſibus:

Hoc Teodoricus Rood, quem Collonia miſit,
Sanguine Germanus, nobile preſſit opus.
Atque ſibi ſocius Thomas fuit Anglicus Hunte,
Dii dent, ut Venetos exuperare queant.
Quam Ienſon Venetos docuit vir Gallicus artem,
Ingenio didicit terra Britanna ſuo.
Celatos Veneti nobis transmittere libros
Cedite, nos aliis vendimus, o Veneti.
Quae fuerat vobis ars primum nota, Latini,
Eſt eadem nobis ipſa reperta preſens.
Quamvis ſeiunctos toto canit orbe Britannos
Virgilius, placet his lingua latina tamen.

Verſiculus 6: *Ingenio didicit terra Britanna ſuo*, indicat artem in Anglia non ab extero, verum indigena, primum exercitam eſſe, qualem fuiſſe *Corſellium* haud liquet, Caxtonum vero conſtat.

HISPANAE OFFICINAE.

Hispaniae typographiam intulisse Germanos, patet ex epilogo *Chronici Hispaniae breviati* per *Didacum Valera*, cuius Editio princeps HISPALI, teste finali, impressa est *per Alonzo del puerto* anno 1481: *h*) „Nunc denuo ... occurrunt adeo mirabili arte scribendi, ob quam redimus in aetates aureas; nobis per multiplicatos „codices tantum restituentibus, quantum humanum ingenium „consequi potest, natione *Germanis*, exercitatissimis, & assidue „inventoribus in hac *arte imprimendi*, quae absque errore dici „potest divina, quorum *Germanorum* unus est *Michaël Dachauer*, „mirifici ingenii & doctrinae." Eadem verba leguntur in secunda huius Chronici editione *Burgis* an. 1487 excusae per *Frid. de Basilea*, nisi quod pro *Mich. Dachauer* substituitur *Fridericus de Basilea*. *i*) *Hispali* libros excuderunt, non tantum citatus *Alonzo* vel *Alfonzo del puerto*, sociis *Martinezo* & *Segura*, anno 1477-1480; *k*) sed etiam *Maynardus Ungut*, *Alemanus*, socio *Stanislao Polono*, ab an. 1491-1500, inter quos Opera *Senecae*, Hispanice. His accesserunt *Paulus de Colonia*, *Iohannes Pegnitzer de Nurenberga*, *Magnus* & *Thomas*, *Alemani*, qui socii *Plutarchi Vitas*, & *Tostatum super Matthaeum*, Hispanice excuderunt. Ex his *Pegnitzer* artem exercuit usque in an. 1501. Secutus est *Iac. Cromberger*, *Alemanus*, cuius opera typographica ab an. 1509-1536 recenset *Panzer*.

VALENTIAE prodierunt an. 1478 BIBLIA HISPANICA, impressa *a despeces del magnifich en Philip Vizlant mercader de la Vila de Isne de alta Alemanya per mestre Alfonso Fernandez de Cordova e per mestre Lambert Palomar (Palmart) Alamany mestre en arts*, fol. porro an. 1484 *Franc. Ximenez Regimen de Princeps*, & 1486 *Perezii Expositio in Cantica Canticorum*, per *Lamb.* PALMART, *Alamanum*. *i*) CAESAR AUGUSTAE (*Saragossae*) *Paulus Hurus de Constantia*, *Alamanus* ab an. 1485-1499 typographiam exercuit.

h) Panzer T. I. p. 462.
i) Meermann P. II. p. 128.
k) *Caballero* de prima typographiae Hispanicae aetate, Romae 1793. p. 108 sq.
l) Caballero p. 9. 12. 16. & 19.

COMPLUTI ex officina *Arnoldi Guilielmi* de *BROCARIO* prodierunt *BIBLIA POLYGLOTTA*, sumptibus Cardin. *Ximenii* archiep. Toletani, VI. Volum. in fol. quorum primum *NOVI TESTAMENTI Graeci*, primam editionem cum *Vulgata*, & *Lexicon* Graecarum dictionum continens, lucem vidit anno 1514. In hac editione Graecae voces sine ullis spirituum vel tonorum notis impressae sunt. Graeco textui 1. Ioh. V. insertus est vers. de *tribus in coelo testibus*, nullius tamen Graeci codicis fide, uti, post *Stunicam*, observat quoque *Bengel*, *m*) qui tamen deceptus a *Rich. Simonio* perperam existimavit, *n*) verba ἐν τῇ γῇ legi in Codice *Regio* Parisino n. 2247, & *Colbertino* n. 871, quibus codicibus ad marginem adiecta sunt Scholia, quae *spiritum*, *aquam* & *sanguinem* allegorice interpretantur per *Patrem*, *Verbum* & *Spiritum S*. Eadem interpretatione utuntur etiam Scholia marginalia duorum Codicum *Latinorum*, scil. *Regii* n. 3584, & *Colbertini* n. 158. a *Rich. Simonio* aeque citatorum, *o*) atque *Cyprianus*, *Augustinus* & *Facundus*. Contra Auctor *Prologi ad Epistolas Canonicas*, *Hieronymo* perperam adscripti, *p*) queritur, ab infidelibus *translatoribus* omissum esse *Patris*, *Verbi* ac *Spiritus* testimonium, in Graecis codicibus occurrens. In Latinis quibusdam exemplaribus legi quidem istum *Prologum*, omisso tamen ipso testimonio, observat *Rich. Simon* Hist. Crit. du Texte du Nouveau Testam. p. 209 sq.

VETUS TESTAMENTUM, IV. Volum. constans, absolutum est anno 1517. Prologus ad *Lectorem* monet: „*Pentateuchus* triplicem linguam habet, *Hebraicam*, *Chaldaicam* & *Graecam*, quas „imprimendas iussimus cum aliis tribus *latinis* interpretationibus ... *Hagiographi* libri & *Prophetales* duplici lingua excuduntur, *Hebraea* & *Graeca* cum aliis duabus *latinis* translationibus ... „Libri *extra canonem Graecam* tantum habent scripturam cum „duplici *latina* interpretatione, altera b. *Hieronymi*, altera *interlineari* de verbo ad verbum ... In *Pentateucho* unaquaeque pagina tres columnas habet: ad marginem exteriorem sita est *Hebraica* veritas; interiori margini adhaeret *Graeca* LXX. Interpr.

m) in Apparatu Crit. ad Nov. Testam. p. 453. edit. 1763.
n) Ibidem p. 473.
o) Hist. Crit du Texte du Nouveau Testam. p. 204. 210.
p) Rich. Simon l. c. p. 209 sqq. & Bengel l. c. p. 472.

... *interlinearis* de verbo ad ver-
... *Latinam* b. Hieronymi transla-
... *synagogam* & Orientalem ecclesiam posui-
... *hinc & inde latrones*, medium autem *Iesum*
... *latinam* Ecclesiam collocantes. His tribus
... *aliae minores* in calce paginae supponuntur, qua-
... *Chaldaicam* continet scripturam; altera angu-
... *eius interpretationem*... Singulis lineis *hebraicis* cor-
... *binae* lineae *latinae* e regione, hoc tamen semper
... *ut omnes* quaeque columnae tam in principio quam
... *consentiant*, nisi ubi loci angustia non patitur... Inter
... *dictiones Hebraicas* superponuntur minutae literulae *lati-*
... *alphabethico* ordine, quibus consimiles aliae in *latina* co-
„ *lumna respondent*, ut per similitudinem literulae cognoscatur,
„ *quae dictio latina* ad quam *Hebraicam* sit referenda. (Similiter in
„ *Novo Testam. latinae* dictiones per easdem literulas ad *Graecas*
„ *sunt relatae.*) Primitiva seu radices dictionum *Hebraicarum* &
„ *Chaldaicarum* ad marginem sunt apposita... In Hebraicis cha-
„ racteribus omisimus apices illos quibus nunc utuntur Iudaei
„ pro *accentibus*.

In *Prologo* priori ad *Leonem X.* docetur: „Ubicunque *lati-*
„*norum* codicum varietas est, aut depravatae lectionis suspicio,
„(id quod librariorum imperitia simul & negligentia frequentis-
„sime accidere videmus,) ad primam scripturae originem rever-
„tendum est: sicut b. *Hieronymus* & *Augustinus* ac caeteri Eccle-
„siastici tractatores admonent: ita ut librorum *Veteris Testamenti*
„sinceritas ex *Hebraica* veritate, *Novi* autem ex *Graecis* exem-
„plaribus examinetur.“ Hoc ipsum revera praestitisse horum Po-
lyglottorum curatores, monet *Rich. Simon: q*) „La méthode qu'on
„a tenue dans tout cet Ouvrage, fait bien voir qu'on a jugé que
„le *Texte Hebreu* devoit être la régle des *Traductions Grecque*
„& *Latine*, puisqu'on a pris la liberté de les corriger sur ce *Texte*,
„souvent mal-à-propos & sans aucune nécessité: ce qui est ar-
„rivé principalement dans la Version *Grecque des Septante*, qu'on
„a reformée, ou plûtot corrompue en une infinité d'endroits,

q) Hist. Crit. du Vieux Testam. pag. 516.

„pour la rendre plus conforme à l'Original *Hebreu.* A l'égard de „la *Vulgate*, comme les Exemplaires *Latins* étoient alors fort „défectueux; on a aussi pris la liberté de la reformer non seu- „lement sur d'anciens Exemplaires *Latins*, mais même sur le „Texte *Hébreu;* de sorte qu'on ne s'est pas contenté d'en ôter „les fautes des Copistes, mais on en retranché plusieurs choses, „qu'on a crû n'y devoir point être." Eadem cum Simonio, quoad Novum Testamentum, observat *Michaëlis.* r)

Sextum Volumen, anno 1514 excusum, complectitur „*Di*- „*ctionarium* vocabulorum *Hebraeorum Chaldaeorumque*, in quo quot „locis unaquaeque dictio multiplicet significata, adiectis quam- „plurimis concordantiis continuo subiungitur, assignata cuique „loco propria significatione, qua ibidem usus est *Latinus Inter*- „*pres*... Apposita est *Hebraeae* linguae *Grammatica*... Postre- „mum locum obtinet aliud *Dictionarium*, latini Abecedarii or- „dine digestum, quod omnia Veteris Testamenti *Latina* voca- „bula citatis *prioris Vocabularii* paginis *Hebraice* proferre docet."

His Bibliis Polyglottis adiectum est *Diploma Leonis X.* datum an. 1520. d. 22. Martii, in quo: „Sed cum post operis impres- „sionem subito Cardin. Ximenius morte esset ablatus, & noster „ad publicationem dicti operis consensus petitus non esset; ne- „quivit hactenus opus ipsum ad doctorum manus & publicam „utilitatem, cui erat fructuosum, advenire. — — Motu proprio „& ex certa scientia nostra opus praefatum comprobamus. &c.

r) Einleit. in die Schriften des Neuen Bundes T. I. p. 773 sq. Edit. quartae an. 1788.

ADDENDA.

Ad Pag. 22. *La Serna* Diction. bibl. T. I. pag. 99. opinatur, inventas a *Gutenbergio* & *Fausto* matrices non fuisse cusas ope *archetyporum*, quos post invenisse putat *P. Schoefferum*, provocans ad Auctorem Relationis de Origine Typographiae. Hic vero clare docet, ante inventas *matrices cusas* non adhibitas esse alias mere fusas, sed cum *matricibus* simul inventas esse *patrices*: etenim postquam narravit, singulorum mobilium characterum sculpturam gravi aerumnae ac melancholiae immersisse Faustum, (vid. supra pag. 100.) mox subiicit: P. Schoefferum invenisse, *wie man die Buchstaben in Bunzen schneiden und nachgiessen, und also vielmals mannigfaltigen koenne, und nicht jeden Buchstaben offtmals einzeling schneiden müsse;* ap. *Koehler* pag. 90.

Ad Pag. 41. Fabulas *Bambergae* 1461 excusas constare foliis 28. legitur quidem in *Panzeri* Annalen p. 48, & in *Murrii* Bambergs Buchdr. Gesch. pag. 254. Sed foliis 88. illas constare monuit postea Panzer in Zusaetzen an. 1802. p. 20. Idem ibidem p. 1. profitetur, *BIBLIA GERMANICA*, Fausto perperam adscripta, a *Steigenbergero* autem *Eggesteinio* vindicata, omnino deberi huic typographo.

Ad Pag. 45. *IOANNES SCHOEFFER*, *Petri* filius, annis 1505, 1514 & 1523 excudit *Romische Historie uss Tito Livio gezogen*, cum figuris ligno incisis: cuius Historiae, quae ex aliorum quoque auctorum excerptis composita est, tertiam partem vertit *Ivo Wittig*, Iur. Can. Prof. qui *Gutenbergio* monumentum posuit supra citatum p. 28. In Dedicat. ad Maximilianum Caes. scribit: *Die kunst der Truckerey ist zu Menz im ersten von dem kunstreichen Ioh. Guttenbergk do man zalt 1450 erfunden, und darnach mit vleyss kost und arbeyt Ioh. Fausten und Peter Schoeffers gebesserth und bestendig gemacht worden.* Qua ingenua confessione, repetita ab eius filio *Ivone Schoeffero* in editionibus eiusdem libri an. 1533, 1541 & 1551, refelluntur ea quae scripsit Ioannes Schoeffer in finali *Trithemii de Origine gentis & regum Francorum* an. 1515: „Per Io. „Schoeffer, nepotem *Io. Fusth*, impressoriae artis *primarii auctoris*, qui tandem imprimendi artem proprio ingenio excogitare

„ſpeculariqne coepit anno 1450 ... Anno autem 1452 *perfecit.* „deduxitque in opus imprimendi *&c.*“ Conf. ſupra pag. 20.

Idem *Io. Schoeffer* an. 1518 excudit *T. LIVIUM* auctiorem *parte extrema libri XL. & parte maxima libri XXXIII.* e Codice biblioth. Moguntinae cathedralis.

Pag. 46. paucis indicavimus opuſculum *MANUNG DER CRISTENHEIT WIDER DIE TÜRKEN.* quod ex Auguſtanorum Ieſuitarum bibliotheca in *Monacenſem* regiam translatum deſcripſit *Aretin* in *Litter. Anzeiger* anni 1806. p. 344 ſqq. Conſtat quinque foliis in 4. *rhytmis* compoſitum eſt Germanicis, lineis tamen ſine intervallo procurrentibus, ita quidem ut rhytmi nulla interpunctione, ſed grandiore tantum initiali litera diſtinguantur. Ceterum Calendarii formam habet, ita quidem ut ſub rubricis duodecim anni Menſium ſuo ordine moneantur Papa, Imperator, Reges, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Duces, & Respublicae, ut compoſitis inter ſe bellis, arma convertant in Turcas. Titulus, *Eyn Manung der criſtenheit widder die durcken.* eodem quo Textus charactere expreſſus eſt. Praemittitur *Prologus.* in forma precum, cuius ultimi rhytmi ſunt: „Als man zelet nach diner geburt offenbar M. CCCC. „LV. iar Sieben wochen und iiij. dage do by Von nativitatis „bis eſto michi Gib dem heiligen ſontage das E Und gnade uns „armen ſündern ymmerme.“ Prologum ſequuntur rubricae ſingulorum menſium, quorum nomina in medio lineae poſita ſunt. Incipit

hartmondt (Ianuarius.)

Rhytmi ſub hoc menſe collocati, directi ſunt ad *Nicolaum V. Papam.* quem obiiſſe anno 1455 d. 23. Martii, ſupra pag. 27 monuimus: „*Wol an ſtathalter unſers herren iheſus Du heiliger vater babſt nicolaus Syt du ein dreifoltige kron dreiſt* (traegſt) *So mane dich der heilge geiſt Und die heubter geiſtlicher und wertlicher ſwert Und die beſitzer der criſtenheit phert Das ſie nit me widder einander kriegen oder reiſen Und under in ſelber nit me machen witwen und weiſen Sunder daz ſie widder die turcken ſich gauwen. So werden ſie das erſte nume ſchauwen Uff ſamſtag nach anthoni Vormittage zu der X. ſtunde oder do by.*

Ad calcem Rubricae *Wintermonat* legitur: *Eyn gut ſelig nueye Iar.* Ex quo colligit *Aretinus.* hoc opuſculum ſub finem anni 1454 eſſe excuſum. Eodem docente Initiales literae Precum &

Primi mensis rhytmorum a miniatore appictae sunt, reliqua omnia typis expressa: literae primo quidem intuitu apparent aequales, attentius vero aspicientibus earum nulla fere alteri prorsus conformis videtur. Ex levissima hac dissimilitudine haud sequitur, typos illos non fusos sed sculptos esse, uti supra disputavimus pag. 95 sqq. Typi, eodem *Aretino* observante, iidem prorsus sunt cum typis *Calendarii* anni 1457 supra pag. 46. memorati, similesque typis *Bibliorum* 36. linearum. Haec vero Biblia Moguntino potius quam Pfisteriano prelo adscribenda esse, supra ostendimus pag. 50 sqq.

Pag. 94. *Theuerdankii* typis fusis adiectos esse illos quasi calami ductus, inde liquido patet, quod passim a sua litera spatiolo quodam dirimuntur hi ductus. In ipsius primae Editionis an. 1517 exemplis occurrere diversitates tam quoad literarum ornamenta, quam quoad orthographiam, observat Cl. *Bernhart* in Beytr. zur Litter. B. V. pag. 69. München 1805.

Pag. 140. *Nic. Kessler Antwerpiensibus* typographis non accensendus erat, quamvis eum illis annumeraverint *Maittaire* T. I. pag. 220. & *Visser* in *Naamlist.*

Pag. 248. *Caxton* in citato Chronico non tantum silet venditatam *Harlemi* officinam Gutenbergii, abductumque inde *Corsellium;* sed plane in contrarium modum scribit: *Circa annum 1455 impressoria ars primum inventa est Moguntiae in Germania.*

Bibliorum Gutenbergii & Fausti exemplis, supra pag. 29. recensitis, quorum unum rubricatum est an. 1456, addenda sunt exempla tria nunc *Monacensis* biblioth. regiae, quorum unum gerit rubricationis annum 1461, docente *Bernharto* in Beytr. zur Litter. B. III. Stück VI. pag. 97.

MANTISSA.

I. DE PETRI SCHOEFFERI IN LIBRORUM MERCATURA SOCIIS.

Omnibus in libris, quos post *Fausti* an. 1466 obitum excudit *Petrus Schoeffer* ab an. 1467 - 1502, solum Schoefferi nomen occurrit, nec ullum eius in arte typographica socii vestigium apparet. In librorum tamen mercatura socium sibi adsciverit *Conradum Hanequis*, quod testatur concessum utrique privilegium *Ludovici XI.* an. 1475,[1] in quo appellantur *Conrart Hanequis & Pierre Schoeffre, marchands bourgeois de la ville de Mayence.* Hunc Conr. Hanequis *Meermannus*[2] eundem esse putat cum *Conr. Henlifo*, qui cum P. Schoeffero Parisinae *S. Victoris* abbatiae vendidit an. 1471 *Hieronymi Epistolas.* Has si una cum Schoeffero excudisset *Henlifus*, uti quidam putant; eius nomen haud omissum fuisset in finali quod sic sonat: *Est autem presens opus arte impressoria feliciter consummatum per Petrum Schoiffer de Gernsheim in civitate nobili Moguntina an. 1470.* Exemplo, quod extat in *S. Victoris* abbatia, haec adiiciuntur manu scripta: *Extrait du Nécrologe de l'Abbaye de St. Victor de Paris 1471. 3. Kal. Novembris: Anniversarium honorabilium virorum Petri Schoeffer & Conrardi Henlif ac Iohannis Fust, civium de Moguntia, impressorum librorum, nec non uxorum, filiorum, parentum, amicorum et benefactorum eorundem. Qui* PETRUS *&* CONRADUS *dederunt nobis Epistolas beati Hieronymi impressas in pergameno: accepta tamen summa duodecim scutorum auri, quam praefati impressores receperunt per manus Domini Ioannis Abbatis huius Ecclesiae.* Signatum: *De la Naue Bouer Bibliothécaire de St. Victor.*

Haec Necrologii verba post *Caillium*[3] exhibet *Maittaire*,[4] eaque autographis conformia esse, monet *Mercier*,[5] testis oculatus. Solus autem Rev. *Guiot*[6] in citato Necrologii loco pro Conr.

1 Quod legitur in Hist. de l'Acad. des Inscr. & Belles-Lettres, Tom. XIV. p. 243 sqq.
2 Orig. typogr. P. II. p. 272.
3 Hist. de l'Imprimerie. Paris 1689. p. 14.
4 Annales typogr. T. I. p. 67. & T. IV. p. 286.
5 Supplem. à Marchand p. 28.
6 in Magasin Encyclop. 1807. Ianvier p. 62.

Henlif legit Conr. *Heulit*. Hac variante lectione, nondum probata, nixus Cl. *Albrecht*,[1] per *Conr. Heulit* designari existimat *Conradum Heliae* typographum, quem tamen nullum usquam prodit Documentum. Hunc hominem ut fingeret, ansam quaesivit minus aptam in eo quem pag. 188. memoravimus *Helia Heliae de Laufen*, qui in *Beronis villa* recudit *Mammotrectum*, a Petro Schoeffero an. 1470 impressum, cuius transscripsit finale, servato eodem anno ac die beati *Martini*; quae tamen in Beronis villa editio, uti ostendimus, post annum 1473 prodiisse videtur. In Beronis villam dimanasse typographiam ex urbe *Basilea*, credere iubent ea quae de primis eius civitatis typographis *Bertholdo*, & *Bern. Richelio* pag. 218. exposuimus. Recusus ab *Helia Heliae Mammotrectus* nequaquam cogit fingere quendam eius cognatum *Conradum Heliae*, quem sub *Conrado Henlifo* sive *Heulito*, Petri Schoefferi socio, intelligendum esse quodam ingenii lusu hariolatur *Albrechtus*, Helvetiis, ob praebitum sibi quondam hospitium, gratificaturus. Ludit certe *Albrechtus* quum scribit: *Zu Beromünster eroeffnete man die Druckerey mit dem Mammotrectus; eben so wie bei Schoeffer in Mainz*; quasi vero anno demum 1470 libros excudere coepisset Petrus Schoeffer.

Lusit quoque nuper cum Meermanno, conterraneo suo, Cl. *Iansen*, qui Parisiis an. 1809. edidit librum *De l'invention de l'Imprimerie ou Analyse des deux ouvrages de Mr. Meermann, suivi d'une Notice chronologique & raisonnée des Livres imprimés avant l'année 1501 dans les Pays-Bas par Mr. Visser; & augmentée d'environ deux cents articles par l'éditeur*. Frustra quaeras hoc in libro incognitum hucusque monumentum typographicum, quo iuvetur conclamata illa Kosteriana causa. Sed in memoratae *Notice raisonnée* pagina secunda offendit error, quo ad annum 1472 refertur *Lud. Bruni carmen in adventu Maximiliani ducis Austriae, novique Burgundiae ducis &c. apud Ioh. de Westphalia Anno Millesimo ccccclxxij, mense Novembri*. Satis enim constat, hoc carmen excusum esse an. 1477, nec scribi potuisse ante illum annum, quo demum occubuit Carolus Audax.

1 in Miscellen für die neueste Weltkunde, Arau 1810. n. 57. & 58.

II. Ex Protocollo Senatus Argentinensis anni 1439. sub rubro: *Dicta Testium.* [1]

ntz Beildeck het geseit das Iohann Gutenberg in geschickt het zu 'ritzehen. nach Andres sins bruders seligen dode. und det Clau-ehen sagen. das er die presse die er hünder im hett. nieman .. er solte gon über die presse. und die mit den zweyen Wür-n. so vielent die stücke voneinander, dieselben stücke solt er presse oder uff die presse legen. so kunde darnach nieman ge- (etwas) *gemercken.*

spach hatt geseit das Andres Heilman ... zu ime sprach: tzehen abgangen ist. da hast du die pressen gemaht und he; do gang dohin; und nym die stücke uss der pres- von einander. so kan man nit gesehen was das ist.

rn hatt geseit ... das Andres Dritzehen ir antwurt: erbe habe versetzt ... uns mag nit misselingen. ee so hant wir unser houbtgut wider. und sind dann uns dann blogen. (plagen.)

t geseit ... das er von Andres Dritzehen gehœrt ülff in Got das das gemahte werck in der ge-de. so hoffte und truwete er uss allen sinen

---

1 In causa litis pag. 10. memoratae, cuius rationes simul & leges pacti quod cum Andrea Dritzehnio, Heilmanno & Riffio inierat Gutenbergius, uberius exponuntur in Schoepflini Vindiciis typ. p. 18. sqq. Senatus secundum Gutenbergium pronuntiavit, standum esse pactis.

ERRATA.

Pag. 19. lin. 2. leg. *800 florenos*.
Pag. 28. l. 3. *Serrario*, leg. *Serario*. lin. 5 *toto orbi*, leg. *de orbe toto*.
Pag. 48. lin. 15. *foll. 28*, leg. 88.
Pag. 53. lin. 12. *libros*, adde *complures*. lin. 18. adde *Confer Praef. pag. v. seq*.
Pag. 61. lin. 13. *primam*, leg. *primum*.
Pag. 67. lin. 30. *1465*, leg. *1468*.
Pag. 106. lin. 27. *paucae*, leg. *pauci*. *sculptae*, leg. *sculpti*.
Pag. 108. lin. 7. *ont*, leg. *on*.
Pag. 109. lin. 10. *Rikelii*, leg. *Rikelii*.
Pag. 114. lin. 3. *nullam*, leg. *nullum*.
Pag. 121. lin. 21. dele *loco*.
Pag. 123. lin. 12. *visentur*, leg. *visantur*.
Pag. 126. lin. 7. *1646*, leg. *1640*.
Pag. 132. lin. 2. *protaxisse*, leg. *protraxisse*.
Pag. 140. lin. 21. dele *Nic. Kesler*.
Pag. 141. lin. 9. *id*, leg. *in*.
Pag. 142. lin. 18. *1479*, leg. *1749*.
Pag. 152. lin. 14. post *S. Jerôme* inferatur *t*)
Pag. 159. lin. 4. *imprimeretur*, leg. *imprimerentur*.
Pag. 160. ad notas *g* & *h*) adde: Seemiller Incunab. typ. bibl. Ingolstad. Fasc. III. p. 150. & Fasc. IV. p. 224. Denis Suppl. Maittairii p. 334. & 474.
Pag. 167. lin. 9. *Schoffer*, leg. *Schoeffer*.
Pag. 170. lin. 13. *CCCCLXXI*, leg. *CCCCLXI*.
Pag. 187. lin. 1. *Talmudem*, leg. *Talmud*.
Pag. 191. lin. 20. *posteriori*, leg. *utraque*.
Pag. 213. lin. 3. *an*. leg. *anno*.
Pag. 233. lin. 10. leg. *prima cum nota anni editio*.
Pag. 249. lin. 8. post *Gallica* adde *ac Anglica*.

